AZ.
I

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVII
E
87
NAPOLI

XLVII
33
50

Digitized by Google

XLVII
50
Digitized by Google

Digitized by Google

IVSTI · FONTANINI

ARCHIEPISCOPI . ANCYRANI

DE
SANCTO · PETRO · VRSEOLO

DVCE . VENETORVM

POSTEA . MONACHO . ORDINIS . SANCTI . BENEDICTI

Ex primæva Eccleſiæ diſciplina Sanctorum
Confeſſorum canoni adſcripto,

DISSERTATIO

*Qua ejus geſta, virtutes, ſigna & cultus veterrimus
explicantur.*

ACCEDIT

De eadem re Commentarius publica auctoritate
confectus

Obiit Vir ſanctus Cuxani in Catalonia die x. *Januarii
anno Chriſti nongenteſimo &* XCVII.

ROMÆ

Typis Rochi Bernabò in vico ad Muratas

MDCCXXX

PRÆSIDVM PERMISSV

COLL. NEAP. IHS
NAPOLI
Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO . ET . REVERENDISSIMO

DOMINO

PETRO · OTTOBONO

SABINORVM . EPISCOPO

ET S. R. E. CARDINALI VICECANCELLARIO .

J. Archiepiſcopus Ancyranus .

SÆPENVMERO *flagitaſti*, *immo pro tua in me auctoritate*, *imperaſti*, EMINENTISSIME CARDINALIS, *ut præclare*, *ideſt Chriſtiane geſta Sancti* PETRI URSEOLI, *enarrarem*, *qui ſtudio rerum cœleſtium alacrius vacaturus*, *Ducatu Venetiarum*, *quem pro ſua modeſtia*

a 2 *in-*

Digitized by Google

invitus acceperat, ultro ſe abdicavit, deque patria & cognatione ſecreto exiens, cum Romualdo ſimul, aliiſque Deo caris & probatiſſimis viris abiit in regionem longinquam, ut ſancti Benedicti inſtitutum amplexus, ſibi regnum æternum adipiſceretur. Idem tecum, vir EMINENTISSIME, *certatim egit præcelſæ* REIPUBLICAE VENETORUM *apud ſanctam Apoſtolicam Sedem, poſt Gallicam Legationem ſtrenue obitam, Orator ampliſſimus* BARBO MAUROCENUS, *equeſtri ordine inſignis & Procurator ædis ſancti Marci, qui Chriſtianis facinoribus memorandum atque inclytum Ducem, jure ſanguinis, & eo magis veræ in Deum pietatis nexu, majoribus ſuis ſtricte conjunctum, auguſtæ patriæ acceptum, & jamdudum, ut noſti, ab Optimatibus expetitum apud Deum patronum, oraculo Petri*

una

Digitized by Google

una tecum daturus, in hoc maxime incubuit, ut tanti viri ſanctitas, probe alias recognita, per me explicaretur. Tuum jam eſt ſapientiſſimis collegis tuis, ob graviſſimum de ſacris Eccleſiæ ritibus judicium ferendum, more ſolito congregatis, magnas Urseoli *virtutes proponere, ob quas vir* sanctus *miraculis a Deo illuſtratus, in cœlitum album longe ante Alexandrum* Papam III. *pontificali cæremonia referri meruit; unde poſtmodum in ædibus ſacris pia emblemata, aræ in ejus honorem* Deo *dicatæ, pretioſæque illius exuviæ, nutu divino adprobante, ſub iiſdem aris venerationi Chriſtifidelium expoſitæ ſunt. Horum omnium teſtes tabulæ, ſeptem ſæculorum conſenſu munitæ, teſtes Venetorum Annales, Kalendaria & Martyrologia, Hiſpanis, Gallis, Germanis atque* Italis *nota, quæ*

Ur-

URSEOLVM *Sanctis Confeſſoribus ritu veteri adnumeratum, cum elogio canonicæ ſanctitatis in Romanæ etiam Eccleſiæ faſtis deſcribi, deque eo publica ſacra celebrari poſtulant: quod ob cauſſæ æquitatem, ad augendam divini nominis gloriam*, EMINENTISSIME DOMINE, *te auſpice nos conſecuturos ſperamus*.

Dabam Romæ ex ædibus palatinis in Quirinali die x. Januarii anno MDCCXXX.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO

PETRVS VRSEOLVS, egregiis virtutibus, titulisque admirandus, conſortio ſanctorum virorum celeberrimus fuit, quales certe fuerunt *Marinus* & *Romualdus* monachi Ravennates, *Guarinus* Cuxanenſis in Gallia Narbonenſi Abbas, geminuſque in primis *Johannes*, *Gradonicus* & *Maurocenus*, cum ipſo URSEOLO ac reliquis, in Catalonia uterque monachus; ac prior apud Caſinates poſtea miraculis clarus; alter cœnobii ſancti Georgii conditor in civitate Venetiarum, alias Rivoalti. Petri majores Anonymus Rivipullenſis *Urſones* appellat, qui iidem ac *Participatii* fuerunt: ex qua gente, olim apud Venetos noſtros longe clariſſima & potentiſſima, quum Duces non pauci & Patriarchæ Gradenſes, proprio nomine *Urſi*, vulgo *Urſones* nuncupati, prodiiſſent, toti eidem genti, *Urſonum* cognomentum adhæſit: quod diminutivum eſt, ab *Urſis*, latino more & blanda quadam affectus ſigni-

Digitized by Google

ſignificatione deductum, quæ rem ſibi caram minuere conſuevit; quanvis genio linguæ Italicæ hujuſmodi inflexiones rem potius augeant, quam minuant. Itaque *Urſo*, quaſi *Urſulus* eſt, quem antiquiores *Urſiolum*, ac deinde *Urſeolum*, & Bernardus Juſtinianus, de noſtro loquens, *Urſojolum*, ſcribere maluerunt. In *Urſonem*, & *Urſionem* (qui poſterior ſæpius occurrit) *Urſi* vel *Orſi* nomenclatio migravit penes Baluzium in Capitularibus tomo II. pag. 1305. inque Mabillonii Annalibus Benedictinis tomo V. pag. 141. ante num. LVII. & pag. 188. ante num. XXXIII. ac demum pag. 208. ante num. LXXII. Ita quoque pag. 224. num. XCI. & pag. 311. ante num. LIX. Idem nomen diminutivum, & medio ævo frequens, occurrit alibi paſſim. Res enim eſt pervulgata, & latinis antiquioribus æque communis, ut probe adnotavit in Etruriæ Inſcriptionibus pereruditus amicus noſter Antonius Franciſcus Gorius tomo I. pag. 19. num. XXXIII. pag. 53. num. CXVI. & pag. 424. num. CCLXXXIII. ubi *Secundionem* pro *Secundo* puero, *Parthenionem* (Græce) pro virguncula, *Paridionem* pro *parvo Paride*, habemus. Hujuſmodi fuit *Cæſario*, quem *ex Cæſare Cleopatra concepiſſe* prædicatur apud Suetonium

nium in Auguſto cap. xvii. Blandi pariter affectus indicio Sanctum *Gallonum* & *Gallonem* pro *Gallo*, ac *Luponum* pro *Lupo*, dictos meminimus. Vide Melchioris Goldaſti res Alamannicas tomo iI. pag. 38. 39. 40. 41. edit. iI. & Mabillonii Acta Sanctorum Sæculo vi. Parte i. pag. 312. §. 1. & 2. Immo *Lupus*, ad quem ſcribit Sanctus Gregorius Magnus lib. xi. epiſt. xii. ſecundum ordinem vulgatæ editionis, eſt *Luponus* in Mabillonii Analectis tomo i. pag. 343.

II. Ex his palam eſt, *Petrum* noſtrum *Participatium*, adſcititio nomine *Urſiolum*, poſtea *Urſeolum*, pro *Urſione* vel *Urſone* cognominatum. Siquidem ante ipſum nuſquam *Urſiolæ* familiæ apud Venetos mentio ulla reperitur, propterea quod ab *Urſonibus* & *Participatiis*, qui etiam *Particiaci* dicti ſunt, ea diverſa non eſſet. *Urſiola* vero familia, a noſtro primum denominata, in *Dominico* Principe eſſe deſiit, qui ex imperio Venetorum, ut auctor eſt Dandulus, ab æmulis truſus A. D. 1032. Ravennæ obiit; non octennio ante, ut Hieronymus Rubeus prodidit in Hiſtoriis Ravennatibus libro v. Eodem pertinet *Urſus* Patriarcha Gradenſis, Petri *Urſeoli* II. filius, noſtrique nepos, quem

b ſum-

ſummi Pontifices Johannes XIX. & Benedictus IX. in literis ſuis *Urſonem* dixerunt: inque perveteri chronico MS. Bibliothecæ Triviſanæ, de qua alibi mentionem fecimus, vocatur *filius Petri*, *olim* DICTI *Urſyoli*; vulgo nimirum ita cognominati, quum eſſet ex *progenie nobiliſſimorum Urſonum*, ut jam ipſis verbis loquar Anonymi Rivipullenſis num. 2. Idem *Urſus* Patriarcha exemplo avi, monachus fieri decreverat; ſed ut pro Venetæ gentis bono in priori propoſito permaneret, auctor ei fuit Sanctus Guillelmus Divionenſis Abbas, teſte Glabro Rodulfo in Vita, a Petro Roverio in Hiſtoria monaſterii Sancti Johannis Reomænſis primum edita, libro I. cap. XXIV. pag. 145. quæ pariter exſtat in Actis Sanctorum Benedictinis Sæculo VI. Parte I. pag. 334. Itaque *Petrus* noſter, *Participatiæ* ac *Urſonum* gentis alma ſoboles, familiam *Urſiolam* ita dictam primus de ſe propagavit, quomodo *Juſtinianus Participatius* alteram *Juſtinianam*, & *Baduarius Participatius* ſimiliter *Baduariam*: quibus familiis ab ſe derivatis ſinguli nomen proprium indiderunt; ut nimirum hoc pacto primariæ gentis potentia, in plures familias diſtracta, minus formidoloſa in Republica eſſet.

Ce-

III. Cetera ad Confeſſorem *Urſeolum* attinentia, in Diſſertatione pertractantur, ſublatis erroribus, qui apud doctos viros, ejus geſta perfunctorie proſecutos, irrepſerant. De regione, quam tantus hoſpes ſuo incolatu nobilitavit, Ludovicus Meſplede ordinis Prædicatorum ſingulatim egit in Diſſertatione, quam ipſe *Catalaniam vindicatam* inſcripſit. Summum autem provinciæ dynaſtam *Olibanum*, cujus ſtemma digeſſimus, & Guarinum Cuxanenſem Abbatem, *Urſeoli* converſionis præcipuum auctorem, & fugæ ducem, *quo fine vitam terminaverint*, ſe exſpiſcari non potuiſſe ſcribit Auguſtinus Fortunius Hiſtoriarum Camaldulenſium Parte 1I. libro 1. cap. x. in fine. At nos priorem illum ante *Urſeoli* dormitionem Caſino in patriam reducem; poſteriorem inter ſuos Cuxanenſes monachos poſt *Urſeolum* in pace quieviſſe, ex veteribus chartis oſtendimus. Mabillonius, ut ſanctioris doctrinæ ſidus merito ſuſpiciendus, in obſervationibus præviis ad Anonymum Rivipullenſem, inque notis, contextui ſubjectis pag. 877. juxta ac alibi ſæpe, de his agens, humanitus lapſus eſt, dum *Olibanum* patrem cum filio *Oliba* Auſonenſi præſule confudit, & *Gradonicum*, qui ex

Catalonia cum *Olibano* Caſinum profectus, ibidem ſemper vixit ac ſancte obiit, cum eo ad Ruſcinonenſes reverſum, nullo teſte, & contra omnem priſcæ hiſtoriæ fidem exiſtimavit.

IV. *Urſeoli* Vitam, ab ea, quam ſcripſit Anonymus Rivipullenſis, diverſam, percelebris Abbas Guido Grandius, uti diximus, nobiſcum ex codice MS. eremi Camaldulenſis, ubi & aliæ Sanctorum Vitæ, ac quædam ex ipſis ſub finem ſæculi XIII. ſcriptæ leguntur, mutuatam, communicaverat. Nos poſtea illam offendimus inter ſchedas Conſtantini Cajetani Abbatis ordinis Sancti Benedicti, quæ in Bibliotheca Romani Archigymnaſii adſervantur. Hanc eandem Vitam Antverpiæ in muſeo Bollandiano etiam haberi, didicimus nuper ex literis V. C. Jo. Baptiſtæ Sollerii, ad nos datis præterito anno die XXV. Novembris. Eam Daniel Papebrochius Camalduli exſcriptam Romæ contulit cum apographo Antonii Gallonii, Cardinalis Baronii ſodalis, qui ex Cajetano illam acceperat. Hæc, nondum vulgato Anonymo Rivipullenſi, tanti habita eſt ab Hagiologis Bollandianis, ut ex uno hoc teſtimonio ſe *Urſeolum* cum *Sanctis Confeſſoribus* in magni operis ſup-

ſupplemento numeraturos, ſemel iterumque ſpoponderint. Sed nobis eam præterire viſum eſt, quoniam, ut innuimus, ex narratis ab Anonymo Rivipullenſi & a Petro Damiano haud ſine mendis coaluit ſæculo fortaſſe xiii. quæ etiam præſtantium virorum Grandii & Sollerii ſententia eſt; licet Camaldulenſis codex ſcriptus videatur ſæculo xiv. Hæc porro Vita ab ea non differt, quam ex codicibus *Bibliothecæ Anicianæ*, quæ fuit Conſtantini Cajetani, edendam paraverat Franciſcus Campſius, ordinis Sancti Benedicti Hiſpaniæ Tarraconenſis in Urbe procurator generalis A. D. 1622. apud Mabillonium pag. 874. In hac tamen Vita notatu dignum animadvertimus, quod memoret *lapidem*, olim lectulum & pulvinar *Urſeoli*, ſæpe alias nominatum in *Commentario*, huic noſtræ Diſſertationi ſubjecto, quem forenſi & publico ritu digeſtum, Cuxanenſes monachi quindecim ab hinc annis ad claræ memoriæ Ducem Venetorum Jo. Cornelium tranſmittendum curaverant. Sed tempore ejus exceſſus quum evanuiſſet, rurſus auctoritate Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Melchioris de Polignac S. R. E. Tituli Sanctæ Mariæ Angelorum presbyteri Cardinalis, Regiſque Chriſtianiſſimi in Urbe mi-

miniſtri, quem honoris cauſſa nomino, juridica forma Cuxani exaratus, perque actuarios proximi epiſcopatus Helenenſis munitus, ad noſtras tandem manus pervenit: cui obtinendo magnam operam contulit Excellentiſſimus, quem dixi, Orator Venetus, BARBO MAVROCENVS. Hunc vero *Commentarium*, alicubi de noſtro adjectis pauculis notatiunculis, minoris tædii cauſſa in capita diviſimus. Præter Danduli Annales, Chronicon ejus, in *ſeptem* libros diſtinctum, in Diſſertatione compluries attulimus ex apographo incipiente a libro IV. quod nobis ſcribentibus erat ad manus; rejectis videlicet *tribus* aliis ſuperioribus libris, quibus res *ante Chriſtum natum* geſtæ, a Dandulo recenſentur. Monemus, in pleriſque ejuſdem Chronici exemplaribus librum *primum* dici qui in aliis eſt *quartus*, computatis nimirum iiſdem *tribus* antecedentibus, ante Chriſtum natum, Chronici libris.

V. Poſt primævam *Urſeoli* canonizationem, illius cultum per ſeptem ſæcula deductum, æquales, ſuppares, ac ſubſequentes ſcriptores, uno ore firmatum commonſtrant, cui propterea ex inſignium Epiſcoporum ſententia, Melchioris Cani in Locis theologi-

gicis libro II. cap. IV. & Petri Danielis Huetii ſub initium Demonſtrationis evangelicæ, per nos alibi adducta in pravam de rebus ſacris, aliiſve, communi proborum, doctorumque omnium conſenſu receptis, abſurde opinandi licentiam, ſine piaculo & manifeſtæ amentiæ nota adverſari non licet.

VI. Adnotandum hoc loco, pietatem erga Sanctos juxta ac ceteras Chriſtianas virtutes, frequenter in cordibus noſtris, peccati labe inquinatis, frigeſcere. Hinc Rubeus libro v. Hiſtoriarum Ravennatium pag. 281. quæ perperam ſignatur 277. jure conqueritur, Sancti *Romualdi* memoriam, diemque ſolemnem & feſtum a ſuis civibus majore, quam facerent, veneratione atque honore non celebrari. Apud Mabillonium in Actis Sanctorum Benedictinis Sæculo VI. Parte I. pag. 570. ſpectatiſſimos viros conqueſtos fuiſſe legimus de Stabulenſium incuria in Sanctum Popponem, eorum & Atrebatium in Gallia Belgica ſæculo XI. Abbatem, ſanctitate ac ſignis maxime illuſtrem; unde factum, ut quum Popponis nomen a Cardinali Baronio in Martyrologium Romanum die XXV. Januarii primo invectum fuiſſet, illius veneratio mirifice aucta fuerit. Hoc idem apud Ve-

Venetos noſtros atque alibi gentium, de *Confeſſore Urſeolo* poſt venerandam Apoſtolicæ Sedis de eo ſanctionem eventurum, & ſemiſopitos in *Urſeolum* pietatis igniculos expergefactum iri, non dubitamus.

VII. Ingentem iſtam erga Sanctum Popponem, Stabulenſium incuriam, plane æquat Ciſonienſium in eadem Gallia Belgica perexigua devotio (quod traditur apud Bollandum die XXIX. Januarii pag. 971.) erga Sanctum Arnulfum martyrem, ibidem olim tumulatum, ſed ab hæreticis immani ſcelere effoſſum atque diſperſum. At quis Antonii Vincentii Domenecii negligentiam ſatis mirari poſſit, qui in *Notitia Sanctorum Cataloniæ*, Hiſpanice ſcripta, & Barchinone apud Guillelmum Graells A. D. 1602. in forma folii vulgata, Sanctum *Petrum Urſeolum* ſilentio prorſus involvit, quamvis pag. 2. diſerte loquatur de Cuxanenſi æde Sancti Michaelis, in qua miraculis clarus quieſcit? Immo etiam loquitur de ipſo Eccleſiæ odeo, ubi Viri ſancti mauſoleum ſurſum erectum conſpicitur, cui nullum aliud par monumentum in tota æde ſpectatur. Ad hæc bonus ille Hagiologus de ſacello & ara *Urſeoli*, deque exuviis ſub ea depoſitis, perpetuoque accen-

ſa

ſa ante eas lampade, ac populo ad eaſdem honorandas confluente, nihil omnino loquitur. Iſtud de re omnibus nota ac ſumme perſpicua altum & ſupinum ſilentium, Claudii Caſtellani, centonibus Launojanis minime addicti, oculos perculit tomo I. Martyrologii Romani, in Gallicam linguam converſi, die x. Januarii pag. 163. Hoc ipſum doctos ac ſana mente præditos viros monere debet, quo loco habenda ſit formidanda illa critice, ab argumento *mere negativo* deducta, quam novi ſimii Launojani crepare identidem ſolent ad evertenda, ſi Deo placet, quæ ipſorum ingeniis parum arrident. In hujuſmodi literarios thraſones & ſucos aliqua ſcripſimus cap. VIII. num. IV. Diſſertationis, qua Modoetienſis *Coronæ Ferreæ* Langobardorum, cui clavus Dominicus ineſt, antiquitatem & ſanctitatem ab inverecundis vaniſque cavillationibus vindicavimus. Quæque nos cum perdoctis & religioſiſſimis viris ibidem pro ea diſputavimus, argumenti *mere negantis* futilitatem patefacientes, ſexdecim poſtea S. R. E. Cardinales, una omnes ſacris Eccleſiæ ritibus examinandis præpoſiti, comprobaverunt, bonæ memoriæ Cardinali Johanne Baptiſta Ptolemæo poſt obitum alterius optimi Cardi-

Digitized by Google

nalis Thomæ Mariæ Ferrarii, cauſſam ceteris proponente, & coram adſtante promotore Fidei, qui nunc eſt Eminentiſſimus Cardinalis PROSPER LAMBERTINVS; decretumque de reſtituenda priſtina veneratione *Coronæ Ferreæ*, ab iiſdem graviſſimis Patribus latum, mox felicis recordationis Clemens Papa XI. auctoritate ſua confirmavit. Hoc nos cum Sancta Romana Eccleſia *canere* & *recinere*, maximo honori noſtro adſignamus. Sed alius in eam probe animatus, id concoquere non valens, ut ab heterodoxis gratiam iniret, contra tam ſolemne decretum, in cauſſa religionis vulgatum, ſine ullo pudore contentiones ſuas, rebus ſacris diruendis facile adcommodatas, inter eos edendas miſſitare non dubitavit, ſeque miſſitaſſe gloriatur, exemplo nempe uſus magiſtri & præcurſoris, Johannis Launoii, cui ſimillima jure exprobravit penitiori, ſanaque doctrina inſtructiſſimus, & minime loquax, Hadrianus Valeſius in Defenſione Diſceptationis de Baſilicis Parte 1. cap. x. pag. 163. Verum de his alibi fortaſſe opportunius. Jam ad Sanctum Confeſſorem *Urſeolum* poſtremo loco devenientes, præcipuas & nobiliores geſtorum ejus & vitæ epochas, in Diſſertatione fuſius expoſitas, proferamus.

Pe-

A. D.

928 *Petrus* ex gente *Vrſonum*, quæ etiam *Particiaca* & *Participatia*, naſcitur in civitate Rivoalti, alias Venetiarum, Duce Urſo Participatio, Leonis VI. Pont. Max. anno I.

976 Exſtincto Duce Petro Candiano IV. *Petrus Vrſeolus* I. Dux renunciatur invitus die XII. Auguſti, Benedicti VII. Pont. Max. anno II.

977 *Petrus Vrſeolus* cum Felicia conjuge, emiſſo voto perpetuæ caſtitatis, una cum Guarino Cuxanenſi Abbate ſecretum conſilium Venetiis init de principatu deſerendo, & monaſtica profeſſione amplectenda, Benedicti VII. Pont. Max. anno III.

978 *Petrus Vrſeolus* die x. Septembris cum Guarino Abbate, ex Galliis Venetias reverſo, cumque Sancto Romualdo & Marino, monachis Ravennatibus, Johanne Mauroceno genero, ac Johanne Gradonico neceſſario ſuo, clam fugit Cuxanum, ubi monachus fit, Benedicti VII. Pont. Max. anno IV.

997 *Petrus Vrſeolus* poſt annos undeviginti in monachatu tranſactos, ætatis ſuæ anno LXIX. Cuxani die x. Januarii, pie obit, & poſtridie in clauſtro ſepultus, miraculis claret, Petro Urſeolo II. filio Duce Venetiarum, Gregorii V. Pont. Max. anno II. Huc Antonii Stellæ de eo dictum, *Commentario* conſonum, facile quadrat, in Elogiis Venetorum pag. 35. *Reliquum vita ſanctitate & religione clarus egit, celebreque Petri Vrſeoli nomen in eo terrarum tractu* HODIE *viget*. Ita ille anno, quo ſcribebat 1557.

1027 Oliba Cuxanenſis Abbas & Auſonenſis Epiſcopus *Petrum Vrſeolum* miraculis clarum ſolemni cæremonia de clauſtro in ædem Sancti Michaelis tranſlatum, ex primæva Eccleſiæ diſciplina Sanctorum Confeſſorum canoni adſcribit, Petro Barbolano ſeu Centranico Duce Venetiarum, Johannis XIX. Pont. Max. anno IV. Idem Oliba Epiſcopus poſtea Cuxani obiit A. D. 1047.

Digitized by Google

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo Patri ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanenſis, Vicesgerens.

APPROBATIO

Cum nihil, Eccleſiæ præſertim proceribus, cordi magis eſſe debeat ac curæ, quam venerandam Religionis antiquitatem animo perluſtrare, præteritam ſacrorum monimentorum memoriam retegere, & illuſtria antiquæ ſanctitatis exempla ex ipſis fontibus hauſta, atque ad augendam divini nominis gloriam e tenebrarum ſitu eruta, in apertam lucem producere; ideo nos infra ſcripti, qui ſumma cum oblectatione (jubente Reverendiſſimo Patre *Benedicto Zuanelli*, ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtro) perlegimus *Diſſertationem de Sancto Petro Urſeolo, Duce Venetorum, poſtea Monacho Ordinis Sancti Benedicti, ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D. Juſto Fontanino, Archiepiſcopo Ancyrano, adornatam*; non poſſumus, quin ſummis laudibus (ut par eſt) extollamus ſingulare præclariſſimi Auctoris de Eccleſia bene merendi ſtudium. Hanc quippe *Diſſertationem* ad eruditæ vetuſtatis ſpeciem, ad antiquorum monumentorum normam, ad veritatem Hiſtoriæ exactam reperimus. In ea Præſul Illuſtriſſimus ſermonis nitorem & elegantiam, caſtigatæque dictionis integritatem in ornanda Religione utiliter ac fructuoſe collocat, atque diligenter cavet a duobus ſcopulis, ad quos plerique Scriptores appellere ſolent, nimirum a nimia credulitate, & a delicatiſſimo faſtidio, ſive a pruriginoſa quorumdam pſeudo-Criticorum, præpoſtere de inſignium monumentorum ſinceritate dubitandi libidine. Quocirca hanc eruditam *Diſſertationem*, quæ (ſicut confidimus) Fideles ad genuinam pietatem excitabit, ſuoque clariſſimo Auctori, multis jam perdoctis lucubrationibus toti Reipublicæ literariæ notiſſimo, multam laudum ſegetem allatura eſt, publica luce, in rem eorum, qui veram pietatem colunt, donari debere, jure optimo cenſemus.

Datum Romæ in Conventu Minervitano Ordinis FF. Prædicatorum die XXIV. menſis Januarii anni æræ Chriſtianæ MDCCXXX.

F. Ignatius Hyacinthus Amat de Graveſon Ordinis FF. Prædicatorum, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, & Collegii Caſanatenſis Theologus.

F. Antoninus Brémond Ordinis FF. Prædicatorum Sacræ Theologiæ Magiſter.

IMPRIMATUR

Fr. Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum, ſacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

IN-

Digitized by Google

INDEX CAPITUM

I. *Principes viri ante & poſt Petrum Urſeolum I. Ducem Venetorum, in Italia monaſticam ſive eremiticam vitam amplexi.* pag. 1

II. *Duo Petri Urſeoli Duces Venetorum, nominibus, temporibus, titulisque non confundendi. Petrus Urſeolus I. magnis virtutibus inclytus, Ducatui Venetorum invitus præficitur.* 3

III. *Petrus Urſeolus I. perpetuam cum uxore Felicia caſtitatem Deo vovet, deque Ducatu deſerendo, ut vitam monaſticam amplectatur, cum Guarino Cuxanenſi Abbate ſecretum conſilium init.* 7

IV. *Petrus Urſeolus Deo famulaturus, cum aliis optimatibus, & Guarino Abbate, clam Venetiis in Galliam Narbonenſem fugit.* 9

V. *Viri ſancti, Urſeolo ad monachatum proficiſcenti comites facti. Cœnobium Sancti Hilarii, ubi Urſeolus in fuga ſua monachum induit.* 15

VI. *Res Petri Urſeoli ante monachatum ex ſcriptoribus Venetis; poſt monachatum ex Damiano, actisque in cœnobio Cuxanenſi, petendæ ſunt.* 19

VII. *Ur-*

Digitized by Google

VII. *Urſeoli magnæ virtutes & geſta in monachatu.* 20
VIII. *Urſeolus mira pœnitentia, ſpiritu prophetiæ, & Chriſtianæ perfectionis magnitudine illuſtris.* 23
IX. *Sociorum Petri Urſeoli caſus & varia fortuna.* 27
X. *Urſeolus meritorum plenus pie obit & miraculis claret.* 32
XI. *Oliba Auſonenſis Antiſtes beatum Petrum Urſeolum miraculis clarum ſynodali celebritate per ſolemnem corporis* elevationem, *Sanctorum Confeſſorum canoni adſcribit.* 35
XII. *Quoto Chriſti anno Auſonenſis Antiſtes ex delegata auctoritate Petrum Urſeolum Sanctorum Confeſſorum canoni adſcripſerit.* 40
XIII. *Guarini & Olibæ Cuxanenſium Abbatum, qui plurium Abbatiarum præfecturam ſibi a ſummis Pontificibus traditam geſſerunt, anni emortuales.* 42
XIV. *Variæ Sanctorum canonizationes ab Epiſcopis per corporum* elevationem *factæ ante Petrum Urſeolum eo prorſus ritu, quo ipſe inter Sanctos relatus eſt.* 45
XV. *Variæ Sanctorum canonizationes, ab Epiſcopis per corporum* elevationem *factæ poſt Petrum Urſeolum eo prorſus ritu, quo ipſe inter Sanctos relatus eſt.* 50
XVI. *Sancti Petri Urſeoli canonizatio rurſus conſimilibus aliis adſtruitur.* 54
XVII. *Petrus Urſeolus pro* Sancto *ſemper agnitus apud*

apud Hiſpanos, Gallos, atque Italos. 56
XVIII. *Urſeoli ſanctitas, cultus, & canonizatio aliunde oſtenſa.* 60
XIX. *Urſeoli Vita publice olim in divinis officiis prælecta, ejus canonizationis peculiaris eſt nota.* 63
XX. *Mos prælegendi Acta Sanctorum in divinis officiis, ex priſco ritu eccleſiarum Galliæ Narbonenſis, Geſtiſque ipſis Petri Urſeoli explicatur.* 65
XXI. *Teſſellata imago Sancti Petri Urſeoli Venetiis in æde Marciana, ejuſdemque pretium & antiquitas.* 67
XXII. *Priſci ritus monaſtici in pictura Sancti Petri Urſeoli animadverſi.* 69
XXIII. *In pictura Sancti Petri Urſeoli primævum ordinis Benedictini indumentum repræſentatur.* 72
XXIV. *Tunica alba, & procera forma Sancti Petri Urſeoli.* 74
XXV. *Inſcriptio imaginis Sancti Petri Urſeoli.* 76
XXVI. *Quædam alia in Sancti Petri Urſeoli inſcriptione, antiquitatem picturæ indicantia.* 78
XXVII. *Ducalis titulus Sancti Petri Urſeoli explicatus.* 81
XXVIII. *Baſilica Marciana a Sancto Petro Urſeolo conſtrui cœpta, quando ad finem perducta.* 84
XXIX. *Canonizatio Sancti Petri Urſeoli, memorata in Annalibus Venetorum.* 86
XXX. *Alii, qui in ſcriptis ſuis de Petri Urſeoli ſanctitate & miraculis meminerunt.* 88

1 *Stem-*

1 *Stemma Comitum Barchinonenſium.* 31

2 *Imago Sancti Petri Urſeoli æri inciſa.* 66

3 *Commentarius de ſanctitate, cultu & miraculis Sancti Petri Urſeoli, publica auctoritate confectus.* 97

DE

DE SANCTO PETRO URSEOLO DVCE . VENETORVM

Poſtea Monacho ordinis Sancti Benedicti

DISSERTATIO

I. Principes viri, ante & poſt Petrum Urſeolum I. Ducem Venetorum, in Italia monaſticam ſive eremiticam vitam amplexi.

SANCTVS PETRVS VRSIOLVS Dux Venetiarum, quem uſitatius *Urſeolum* dictum invenimus, ob ſanctitatem & rerum humanarum contemtum longe ſpectatiſſimus eſt in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſæculi x. quippe qui ſpe æternæ beatitudinis adipiſcendæ clam fugiens, uxori, filio, principatui, & patriæ magno animo valedixit: qua in re, ſicut aliorum Principum celeberrima exempla, quæ imitaretur, præ oculis habuit; ita ipſe quod deinceps ei ſimiles principes viri poſtea imitari poſſent, nobiliſſimum & undequaque abſolutum Chriſtianæ virtutis exemplum ſeræ poſteritati reliquit. Eidem *Urſeolo* in terrenorum principatuum pro Chriſti Domini famulatu amplectendo abdicatione jamdudum in Italia præluxerant *Ratchiſius*, ex Duce Fori-Julii Rex Langobardorum, & *Carolomannus*, frater Pippini Regis Francorum. Utrumque enim ſæculo VIII. religionis inſtinctu ab excelſo rerum humanarum apice profugum, ad Caſinates, regulæ ſancti Benedicti nomen daturum, ſeceſſiſſe, auctor eſt Leo Oſtien-

CAP. I. ſis in Chronico Caſinenſi libro I. cap. VII. & VIII. *Anſelmus* quoque, Aiſtulfi Regis Langobardorum ſororius & Dux Fori-Julii, cumque illo Erfo & Marcus fratres, ejuſdem Ducatus dynaſtæ, *Urſeolo* præiverant. Hi enim ſua deſerentes, ſacriſque ædibus & cœnobiis, ubi diu noctuque Dei laudes canerentur, exſtructis, primo quidem omnes *Nonantulam* in Æmilia; reliqui vero duo poſt conditam noſtram Abbatiam Sextenſem, ad montem *Amiatum* in Tuſcia ſummo gaudio convolarunt: quod vetera monumenta nobis teſtantur. Denique Urſus II. Particiacus, alias Participatius, ex Baduariæ gentis progenitoribus, Dux Venetorum, ineunte ſæculo X. quo floruit *Urſeolus*, anno XX. ſui principatus *terrena penitus parvipendens, monaſterium intravit, & habitum ſuſcepit*, inquit Andreas Dandulus in Chronico Venetorum lib. VIII. alias V. cap. X. Parte XX. Sæculo vero XI. proximi eidem *Urſeolo* in Ducatu Venetiarum ſucceſſores, *Vitalis Candianus*, & *Tribunus Memmus*, ſupremis vitæ diebus monaſticum inſtitutum amplexi ſunt. Mox *Arduinus* Eporediæ Marchio & aliquandiu Italiæ Rex, quum in agri Taurinatis Fructuarienſe monaſterium ſancti Benigni ſe recepiſſet, obiit monachus die XIV. Decembris A. D. 1015. ex Necrologio alterius monaſterii ſancti Benigni Divionenſis, a quo Fructuarienſe originem duxit. Subinde *Theobaldus* Campaniæ Gallicæ Comes in agro Vicetino eremiticam vitam duxit, Vangadiciæ in epiſcopatu Adrienſi depoſitus, atque inde in patriam translatus, vir ſanctitate & miraculis clarus, ut Benedictini Annales produnt. Ad hæc *Guillelmus* Eremita in Tuſcia, pro Duce Aquitaniæ reputatus, aſpero vitæ genere & ſignorum magnitudine inclytus, Groſ-

Digitized by Google

CAP. II.

Groſſetanum epiſcopatum nobilitavit, teſte Alberto ejus diſcipulo in Vita. Per eadem quoque tempora *Salomon* Andreæ Pannoniæ Regis filius poſt longam in eremo actam pœnitentiam, Polæ in Hiſtria ſub finem ſæculi XII. tumulatus, colitur die XXV. Septembris, ex Actis Sanctorum Bollandianis tomo V. Junii pag. 324. §. 23. Hos poſtmodum ſubſequutus eſt *Conradus*, Guelforum ſoboles dictus, qui obiit Eremita Modugni in Apulia inter Barium & Melfitum, ubi præcipuo in honore habitus, in æde epiſcopali ſub ara maxima requieſcit. Poſtremo non eſt ſilendus *Aureus Maſtropetrus* ex Duce Venetorum monachus factus exeunte ſæculo XII. apud Dandulum lib. X. alias VII. cap. II. in fine. Tantis viris omni laude cumulandis quam recte *Petrus Urſeolus* medius accenſeatur, nos ob ſummi Dei gloriam in eodem ejus famulo amplificandam, ipſo Deo dante, hac noſtra lucubratione oſtendemus.

II.

Duo Petri Urſeoli Duces Venetorum, nominibus, temporibus, titulifque non confundendi. Petrus Urſeolus I. magnis virtutibus inclytus, Ducatui Venetorum invitus præficitur.

AD vitandam homonymiam, alias deprehenſam, quam vulgo *æquivocationem* appellamus, præmoneo, *duos* Petros Urſeolos, *patrem* & *filium* ſub finem ſæculi X. Reipublicæ Venetorum ducali auctoritate præfuiſſe. *Pater* A. D. 976. *Petro Candiano IV.* & *Filius* A. D. 991. *Tribuno Memmo* in Ducatu ſucceſſit. Nos de *Petro Urſeolo* patre, viro ſanctiſſimo, non de filio, ei ceteroqui haudquaquam diſſimili, nunc agere adgredimur. Rerum Venetarum ſcriptores tam veteres, quam recentiores, æquales, ſuppares, & ſubſequentes, uno ore teſtantur, *Petro Candiano* IV. Petri III. filio & ſucceſſori ſuffectum *Petrum Urſeolum* I. Hoc præ ceteris tradit unus ex utriuſque Ducis ſucceſſoribus, Dandulus jam allatus, qui obiit die VII. Septembris A. D. 1354.

CAP. II. *fideliſſimus ſcriptor* a magno Annalium Eccleſiaſticorum parente honoris cauſſa nuncupatus A. D. 1087. num. XXI. Dandulus enim in Chronico libro VIII. capite XV. Parte I. eique ad unum omnes, quos dixi, rerum Venetarum ſcriptores adſtipulantes, *Petro Candiano* IV. populi conjuratione transfoſſo, *Petrum Urſeolum* I. die XII. Auguſti A. D. 976. ſucceſſorem datum affirmant: quod in Olivolenſi civitatis Venetiarum æde epiſcopali, in honorem ſancti Petri Apoſtoli Deo ſacra, *incredibili omnium conſenſu* factum tradit Petrus Juſtinianus, antiquiores Annales ſequutus, in libro I. patriæ Hiſtoriæ, ubi & ipſe poſt alios, *Urſeolum* ſeniorem, *virum pietate & innocentia clarum* appellat. Hac in re ſcriptoribus Venetis undequaque conſentit in codicibus *Cuxanenſi*, & *Rivipullenſi* pervetuſtus Anonymus, qui *Urſeoli* æquales vidit, quemque Johannes Mabillonius vulgavit in Actis Sanctorum ordinis ſancti Benedicti Sæculo V. pag. 876. Sed apud ſanctum Petrum Damianum, de *Urſeolo* agentem in Vita ſancti Romualdi, eorumdem Actorum Sæculo VI. Parte I. pag.283.num.9. multiplex mendum irrepſit. Ibi enim *Petrus Urſeolus* I. non *Petro Candiano* IV. qui nuper in Ducatu ei vere præiverat, ſed *Vitali*, ejuſdem Petri IV. germano, contra plenam Annalium fidem ſucceſſiſſe narratur. Præ omnibus unum Dandulum libro VIII. initio capitis XVI. paucis hiſce verbis rem totam exponentem, adduxiſſe ſufficiet: *Vitalis Candiano Dux acclamatus eſt* A. D. 978. *Hic vir, plenus prudentia & bonitate, filius fuit Petri Candiani* III. *Ducis, & frater Petri* [IV.] *Ducis, a Venetis* INTERFECTI. Antonius Pagius *Candidianum* pro *Candiano*, errans ſæpenumero, ſcribit A. D. 977. num. II. Non ergo

Vi-

Vitalis Candianus *Petro Urſeolo* I. Duci prævit, ſed ei extra omnem dubitationem in Ducatu ſucceſſit. Error hic maximus Dandulo, vel ejus Chronici exſcriptoribus olim recte ſuboluit. Siquidem apud Dandulum, errorem in Damiano corrigentem, non *Vitalis*, ſed *Petri* Candiani legitur in verbis ex ipſo Damiano prolatis. Secus tamen (*Vitalis* nimirum, non *Petri*) legitur in ipſis codicibus Damiani & calamo & prælo vulgatis. Alterum *mendum* apud Damianum deprehenditur, ubi noſter *Urſeolus* proptereaquod deceſſoris ſui *peremtoribus fautor* exſtitiſſet, ad *faſtigium dignitatis* adſcendiſſe pronunciatur. Scilicet parum erat *Vitalem Candianum*, *Petro Urſeolo* I. male præpoſitum, cum ipſius *Vitalis* fratre, *Petro Candiano* IV. quaſi confundere; niſi præterea *Urſeolus* I. qui *ab infantiæ parvitate venerabilis* nuncupatur ab Anonymo Cuxanenſi, atrociſſimi etiam criminis, omni antiquitate reclamante, fieret reus, ideoque *ad faſtigium dignitatis* adſumtus: quod tamen ipſe, *integer vitæ*, *ſcelerisque purus*, omnino *invitus* adſcendit, teſtibus Venetorum ſcriptoribus, atque ipſo potiſſimum Dandulo, ſuperius adducto, qui *Urſeolum genere clarum*, *fide & moribus circumſpectum* appellat: quippe qui a PVERILI *ætate nil aliud*, *quam Deo placere ſtudens*, *ad tantæ dignitatis provectum ſcandere* CONTEMNEBAT, TIMENS, *ne ſæcularis honoris ambitione propoſitum amitteret* SANCTITATIS. *Tandem*, *importune* POPVLO *interpellante*, NON HVMANO FAVORE, *ſed totius Reipublicæ* COMMODO *hujuſmodi Principatus apicem accipere non recuſavit*. Ita Chronicon Venetorum, longe omnium veterrimum, quod Dandulus præ manibus habuit, & ſæpe ad verbum exſcripſit; quodque alicubi a manu Lucæ Hol-

CAP. II.

CAP. II. Holſtenii, viri ſummi, adnotatum, penes me eſt. *Tertium* mendum apud Damianum expungamus, ubi *Urſeolo* noſtro *Dalmatici Ducatus & Dalmatici regni principatus* tribuitur. Mendum ex *æquivocatione* manavit. Tribuitur enim *Petro Urſeolo* I. titulus, qui, non illi, ſed *Petro Urſeolo* II. ejuſdem filio primum tributus eſt. Nam hic omnium Venetorum *primus* Ducem *Dalmatiæ* ſe nominavit; quandoquidem Veneti, hoc eodem *Petro Urſeolo* II. Duce, *dominium Dalmatiæ* PRIMITUS *acceperunt*, ex Dandulo libro IX. cap. I. Parte XV. qui deinde Parte XXXI. de *Petro Urſeolo* II. hæc iterum ſubdit: *pari omnium conſenſu Ducem Dalmatiæ ſe* PRIMITUS *nominavit*. Mox Parte XLIII. laudat privilegium Henrici I. Imperatoris, qui *hunc* (Petrum) *non ſolum Ducem Venetiæ, ſed etiam* DALMATIÆ *in eodem privilegio nominavit*. Diploma, a Dandulo prætermiſſum, datum fuit Ratiſponæ die XIV. Novembris A. D. 1002. Dandulus, juris publici gnarus, *Ducis Dalmatiæ* titulum, in Cæſareis tabulis *Urſeolo* collatum, haud fruſtra commemoravit. Ad imaginem hujus *Petri Urſeoli* II. cum aliis ceterorum Ducum in magno olim prætorio Venetorum expreſſam, ante conflagrationem anni 1577. carmen hic ſubjectum exſtabat, a Franciſco Sanſovino relatum in Deſcriptione Civitatis Venetiarum libro XIII. pag.369. editionis II. cura Johannis Stringæ, Canonici Baſilicæ ſancti Marci Venetiarum:

Subjugo DALMATIAM, *Communis commoditate*;
Sponte bona multi colla dedere jugo.

Vox *Communis* pro *Reipublicæ*, eſt elegantia ſæculi ſemipriſci. De *Dalmatia*, a Petro *Urſeolo* II. recepta, vide, ſi lubet, etiam Johannem Lucium in Hi-

Hiſtoria Tragurienſi lib.I. cap.IX. inque libro II. de Regno Dalmatiæ cap.VII. Exploratiſſimum ergo eſt, *Venetici* tantum, non *Dalmatici*, Ducatus habenas a *Petro Urſeolo* I. rectas, ſcribi debuiſſe apud Damianum. *Quartum* mendum in verbis Damiani deliteſcens infra expungemus. Mirum eſt, Dandulum in verbis Damiani, ab ſe libro VIII. capite XV. Parte XII. recitatis, tot menda præteriiſſe, ratum ſufficere, ſi unum *Vitalis* nomen in *Petrum* apud Damianum immutaret. Eidem *Vitali*, nondum certe Duci, Otto I. Auguſtus conceſſit Inſulam, opidum Hiſtriæ, A. D. 973. quod poſtea Rodaldo Patriarchæ Aquilejenſi ab eo venditum, Otto II. diplomate confirmavit A. D. 976.

III.

Petrus Urſeolus I. perpetuam cum uxore Felicia caſtitatem Deo vovet, deque Ducatu deſerendo, ut vitam monaſticam amplectatur, cum Guarino Cuxanenſi Abbate ſecretum conſilium init.

PORRO noſter *Petrus Urſeolus* I. ad ſummum Patriæ faſtigium evectus, publicam adminiſtrationem a piis operibus auſpicari voluit. Etenim ſancti Marci Evangeliſtæ ædem, quæ una cum prætorio ſub deceſsore conflagraverat, magnificentiſſimo opere de ſuo reparavit, tabulamque auro, argentoque Byzantii, mira ejus ſæculi arte, conflatam, & complurium hiſtoricorum præconiis celebrem, ſolemni ad aram maximam dedicatione locandam curavit, ex Dandulo libro VIII. cap. XV. Parte III. Domi vero parta foriſque gloria, Rempublicam ſingulari ſapientia gerens, omnia ad religionem, communemque utilitatem referebat; quum ex *Felicia*, conjuge pientiſſima, filio *unico* (maſculo) ſibi cognomine ſuſcepto, paribus cum ea votis perpetuam Deo caſtitatem dicavit. Danduli hæc narrantis verba præſtat adducere ex libro VIII. cap. XV. Parte II. *Huic ſiquidem erat conjux, Felicia nomine* & MERITO, VNIVS *nati* (maſculi) TANTVMMODO *mater*: *qui patris æquivocus nomine*,

CAP. III. *ne, non diſſimilis exſtitit opere. Poſt cujus conceptionem, quam* ANGELICO *indicio* DIVA *mater fertur cognoviſſe, maritalem torum, viro ſibi obtemperante, inviolatum* VICISSIM *Deo conſervare deinceps decrevere*. Hæc verba, quæ Baronio præſto ſunt, in *Urſeoli* fuga uxoris conſenſum optanti A. D. 977. num. VI. errorem diluunt plures eis (non *unum* tantum) filios maſculos tribuentium. *Filiam* tamen etiam habuerunt, *Johanni Mauroceno* antea nuptam; qua defuncta & ipſe cum *Petro ſocero*, aliiſque infra nominandis, in Gallias profectus, ibidem monachus factus eſt. Pium optimi Ducis cogitatum divinitus auxit Roma Venetias, hoc eſt *Rivoaltum*, appulſus, beati Marci exuvias veneraturus, Guarinus Abbas cœnobii ſancti Michaelis *Cuxani*, alias Coxani, nunc Cuixani, *de partibus Aquitaniæ*, ut ait Dandulus; nimirum ex *Gallia Narbonenſi* I. alias *Septimania*, ſeu *Ceritania*, in valle Confluenti Comitatus Ruſcinonenſis vulgo dicti, ad fluvium Tetim, qui Perpiniano allabitur. Adi Marcam Hiſpanicam Petri de Marca libro I. cap. V. num. II. & cap. XVI. num. IX. *Citerioris Hiſpaniæ* nomen ei quoque inditum fuiſſe obſervavit Hadrianus Valeſius in Rebus Francicis tomo I. lib. VII. pag. 371. Iſtud cœnobium, in epiſcopatu Helenenſi ad Pyrenæos montes ſub metropoli Narbonenſi poſitum, noſtrates Hiſtorici in *Aquitania*, interdum etiam in *Vaſconia* eſse propterea dixerunt, quod *Aquitania*, notior provincia, illuc pertingeret. Nonnulli ex iiſdem noſtratibus, de *Petro Urſeolo* I. ſcribentes, *Equitaniam* dixerunt: quod nomen ab aliis pariter uſurpatum, inque ipſis codicibus perantiquis Gregorii Turonenſis, ac denariis Pippini Aquitaniæ Regis, poſtea memorandis, offendimus. Ceterum Galliam *Narbonenſem* a mediæ ætatis ſcriptoribus, *Aquitaniæ* vo-

ca-

Digitized by Google

cabulo deſignatam adnotavit M. Antonius Dominicus Cadurcenſis in Ansberti familia rediviva pag. 94. Quumque *Vaſcones*, Pyrenaica gens, olim eo penetraſſent, ideo ſcriptores Galli, *Vaſconiæ* nomenclatione univerſam *Aquitaniam* improprie complexi ſunt, adnotante ſuperius adducto Hadriano Valeſio in Notitia Galliarum. Damianus de *Petro Urſeolo* agens, *Guarinum*, quem honoris cauſſa *Venerabilem* vocat, ex ULTERIORIS *Galliæ finibus* Venetias peregrinatum tradit in Vita sancti Romualdi. Id vero ſcripſit reſpectu noſtræ *Galliæ Ciſalpinæ*, a qua tunc vir ſanctus non longe poſitus, in Flaminia fortaſse degebat. Cœnobium enim *Cuxanenſe*, licet in *Catalonia*, inque *Hiſpania citeriore*, ut proxime innuimus, pridem locatum; in *Galliæ* tamen *finibus* rite ſtatuitur; quandoquidem Barchinonenſis tractus (alias Marca Hiſpanica) Ceritania, aliique ad Rubricatum amnem Comitatus jamdudum Galliæ imperio coaluerant, cui patrum memoria rurſus magna ex parte cum ipſo cœnobio *Cuxanenſi*, & Epiſcopatu *Helenenſi*, nunc a loco ſedis, *Perpinianenſi*, poſtremo acceſserunt. Ita ferme Johannes Mabillonius ad Vitam ſæpe mihi adducendam noſtri *Petri Urſeoli*.

IV.

Petrus Urſeolus Deo famulaturus, cum aliis optimatibus, & Guarino Abbate, clam Venetiis in Galliam Narbonenſem fugit.

GUarinus ergo, ſeu *Warinus*, quod idem eſt, unde apud unum & alterum vernaculum ſcriptorem Venetum ob quandam nominis ſimilitudinem, *Vivianus* pro *Warinus*, oſcitanter irrepſit, magnam *Urſeoli* religionem coram miratus, inque illius conſuetudinem ſuaviter propterea introductus, ac ſæpenumero de gloria æterna cum eo collocutus, auctor ei fuit, ut uni Deo militaturus, terrenis rebus, ipſique Venetiarum principatui,

 nun-

CAP. IV. nuncium remitteret. Chriſtianarum virtutum in *Urſeolo* excellentiam mirifice prædicat a Mabillonio vulgatus Anonymus ſæculi XI. ex illis partibus Galliæ Narbonenſis I. in codicibus antiquis, ut dixi, *Rivipullenſi* & *Cuxanenſi* ſervatus, deque his juxta ac Damianus accuratiſſime inſtructus. Ducem enim divinis lectionibus inter ſacros miniſtros audiendis intentum, aras aſſiduis oblationibus viſitantem, peregrinos liberaliter excipientem, ægrotantium domos noctu obeuntem, Præſulum orationibus ſe commendantem, de converſatione in cœlis habenda, ac ſemetipſo abnegando, de cruce tollenda, ſuiſque omnibus deſerendis, ſanctiſſime cogitantem, Anonymus ille ob oculos ponit. Pium etiam diverſorium ac perpetuum exſtruxerat ædibus ſuis proximum in area ſancti Marci, poſt alios a Franciſco Sanſovino memoratum in Deſcriptione Venetiarum libro I. in fine. Hagiologus Cuxanenſis illud pariter memorat pag. 881. Itaque Abbas *Guarinus Urſeolum* in viis Domini egregie ambulantem, & terrena deſpicientem expertus, *habitamque dignitatem*, NON AMBITIONIS *ſtudio*, *ſed ſubditorum* SOLATIO *obtinentem*, ei ſuggeſſit; ut ſi perfectior eſſe vellet, mundum relinqueret, *Deoque in monaſterio ſervire feſtinaret*. Ita veterrimus ſcriptor Anonymus, a me ſupra laudatus, iterumque laudandus, qui res Venetorum uſque ad A. D. 1008. perduxit. Sed Dandulum de his loquentem iterum audiamus in Chronico libro VIII. cap. XV. Parte X. *fuit nempe hic Dux pauperum nutritor*, *ædificans non procul a ſuo palatio hoſpitale*, *quod hodie ſancti Marci nuncupatur*; *eccleſiarum etiam reparator*; *clericorum & monachorum fautor*, *omnibuſque benevolus*; *milleque libras de ſuis facultatibus ad Venetorum com-*

Digitized by Google

commoda tribuit; & alias mille in pauperum alimoniam contulit. Hæc Dandulum ex eodem Anonymo deſcripſiſſe,mox intelligemus. Spacio autem *Urſeolus* ad res ſuas componendas accepto, *Guarinum* infra certum tempus ad ſe reverſurum dimittit. *Guarinus*, quem *Urſeolus* in primo colloquio apud Anonymum Venetum, *ſuæ animæ lucratorem* dixerat, negociis ſuis in Gallia abſolutis, quaſi Hieroſolymam trajecturus, Venetias ad Ducem, qui rebus quoque ſuis undequaque expeditus, & fugæ paratus, advenientem alacriter expectabat, condicto tempore feliciter appulit. Pergit Anonymus, proxime allatus, & ferme ad verbum hic atque alibi a Dandulo exſcriptus: *eum Petrus Dux libenter ſuſcepit, & prima nocte diei Kalendarum Septembriarum ipſe una cum Johanne Gradonico, nec non Johanne Mauroceno, ſuo videlicet* GENERO (Dandulus ex Damiano *Romualdum* & *Marinum* Ravennates hoc loco addit) *neſciente uxore &* FILIO, *omnibuſque fidelibus, occulte de Venetia exierunt. Qui non procul a sancti Hilarii monaſterio, equos adſcendentes, jam* DETONSIS BARBIS, *velociſſimo curſu viam carpere cœperunt, in tantum, ut tertia die Mediolanenſium rura tranſeuntes, Vercellenſem urbem conſpicerent. Sequenti vero die Veneticorum populi prædictum paſtorem conquæſti ſunt, quem minime reperientes, maximo tabeſcebant dolore. Fuit nempe pauperum nutritor, Eccleſiarum recreator, clericorum, & monachorum fautor, omnibuſque benevolus. De ſuis quidem facultatibus mille librarum numerum ad Veneticorum ſolatia largivit. Alias mille in pauperum alimonias contulit. In sancti Marci altare tabulam miro opere ex argento & auro Conſtantinopoli peragere juſſit. Secum etiam* MAXIMI

CAP. IV. THESAURI *copiam ad prædicti monaſterii reſtaurationem deportavit. Rexit itaque Ducatum annis duobus, & menſe uno. Nam non plus ætatis, quam* QUINQUAGINTA *annorum fuerat, quando ſæcularem depoſuit gloriam*. Hæc Anonymus ille Scriptor Venetus longe integerrimus & antiquiſſimus. Natus ergo erat *Urſeolus* A. D. 928. *Urſo* II. Principe Venetiarum: & quidem, ut Acta nos docent, ex *proſapia nobiliſſimorum Urſonum*, qui erant *Participatii*. Dandulus lib. VIII. cap. XV. Parte XI. ita quoque rem totam ex noſtro Anonymo, actiſque veteribus promit: *ſtatuta die Guarinus Abbas Venetias reverſus eſt ea occaſione, quod Hieroſolymam tranſire vellet: quem Petrus Dux libenter ſuſcepit, & prima die, nocte Kalendarum Septembris, ipſe una cum Johanne Gradonico* VIRO SANCTISSIMO, *& Johanne Mauroceno* GENERO *ſuo, civibus Venetis, Romualdo atque Marino Ravennatibus, neſciente uxore &* FILIO, *omnibuſque fidelibus, occulte de patria exierunt, ſecum portans* MAXIMI THESAURI COPIAM, *de qua monaſterium, in quo erat manſurus, plurimum* DECORAVIT. *Erat quippe annorum* QUINQUAGINTA, *quando ſæcularem depoſuit gloriam, ducavitque annis* II. *diebus* XX. *Hæc Venetorum* SEGREGATAE *ſcripturæ de hujus Ducis vita innuere videntur*. Ita Dandulus. Guarinus tamen tunc Hieroſolymam non trajecit, ſed alio tempore, ut dicam. *Theſauri* hujuſmodi, a viris principibus ad cœnobia perlati, in *ſacra miniſteria* potiſſimum impendebantur: quæ olim domus Dei cimelia, ſupellectiles & ornatus, lingua veterum Patrum denotaſſe obſervavimus in Commentario ad Diſcum votivum. Sed etiam in ſacrarum ædium conſervationem, miniſtrorum, pauperum & religionis ergo advenientium peregrinorum alimoniam

niam utique impendebantur. Hinc facile intelliges quid factum de illis *Theſauris*, quos noſtro *Urſeolo* notus *Olibanus* Ceritaniæ Dynaſta, & *Cuxani* dominus, a Romualdo, ſimul cum *Urſeolo* ibidem agente, ad monaſticam vitam converſus, Caſinum tranſvehendos curavit, ex Damiano in Vita Romualdi, ſecundum Mabillonii diviſionem num. 23. Caſinatis monaſterii *Theſaurum*, quo nomine præter ſacra cimelia, etiam Reliquiæ Sanctorum veniebant, a Siconolfo Principe (vel prædone) ſacrilege ablatum, recenſet Leo Oſtienſis in Chronico libro I. cap. XXVI. quem vide etiam libro II. cap. XCVIII. & libro IV. cap. XC. Hujus generis *Theſauri* fit mentio in charta, qua Tribunum Memmum Ducem Venetiarum Johanni Mauroceno, ejuſdem noſtri *Urſeoli* ſocero & comiti, capellam & inſulam ſancti Georgii in Rivoalto pro conſtructione monaſterii donaſſe, infra audiemus. *Theſaurus*, ab *Urſeolo* religionis cauſſa *Cuxanum* allatus, hæc nos contra novos Eccleſiarum prædones, qui ſunt earumdem ſacrarum opum invidi hoſtes & ſanniones, adnotare commonuit. *Gradonico* & *Mauroceno*, Urſeoli comitibus, in hiſtoria Veneta memoratis, Damianus & Dandulus *Romualdum* & *Marinum* adjungunt. Sex ergo comites fuerunt in ſacro illo itinere, ſive *ſpiritali via*, ut verbis utar ſancti Paulini Nolani, pium iter Hieroſolymitanum indicantis epiſt. IX. ad Severum pag. 115. editionis Plantinianæ. CAP. IV.

1 *Guarinus* Cuxanenſis Abbas:
2 *Marinus* Ravennas monachus.
3 *Romualdus* Ravennas monachus, poſtea Camaldulenſium parens.

4 *Pe-*

CAP. IV. 4 *Petrus Urſeolus* I. Dux Venetiarum, poſtea monachus & Confeſſor.

5 *Johannes Maurocenus Venetus*, poſtea monachus, & cœnobii ſancti Georgii Venetiarum conditor.

6 *Johannes Gradonicus Venetus*, poſtea monachus & apud Caſinates miraculis clarus.

Mirare ingentem, & plane Apoſtolicam illius ætatis procerum Venetorum erga Deum fidem & maximam religionem, quibus Rempublicam ſuam ſuperſtruxerunt, quaſque per manus ad poſteros & ſucceſſores, quaſi hereditario jure tranſmiſſas, in hac ipſa noſtra Diſſertatione alias intueberis. Anonymus Cuxanenſis pag. 883. *barbæ abraſionem* Urſeolo fugienti a monachis factam, de qua poſtea dicemus, pariter memorat. Immo etiam *lebetem* capiti ſive dorſo impoſitum tradit, ne ab inſecuturis agnoſceretur. Fuit *lebes* monaſticum indumentum ſine manicis, alias *colobium*, adjunctum, ut videtur, aliquod capitis operimentum fortaſſe habens. Adi Hugonem Menardum in notis ad Concordiam Regularum ſancti Benedicti Anianenſis pag. 895. & Cangium in Gloſſario *v. Levitonarium*. Ergo Abbas *Guarinus*, vir ea tempeſtate clariſſimus, & magni nominis, qui *Pontio* in Abbatia Cuxanenſi dudum ſucceſſerat, *Urſeolum* cum ſociis in Gallias perduxit, poſtquam eodem A.D. 978. Kalendis Martiis translationi corporis ſancti Hilarii Epiſcopi Carcaſſonenſis interfuiſſet apud Mabillonium in Sæculo v. pag. 553. qui etiam illum *Urſeolo* ſupervixiſſe jure conjecit pag. 877. Siquidem conſtat, illum adhuc vixiſſe A. D. 1008. quo ad eum, pluribus monaſteriis præfectum, Johannes XIX. Pont. Max. literas

ras

Digitized by Google

ras dedit apud Stephanum Baluzium libro IV. Marcæ Hiſpanicæ Petri de Marca pag. 420. & 966.

V.
Viri ſancti Urſeolo ad monachatum proficiſcenti comites facti. Cœnobium ſancti Hilarii, ubi Urſeolus in fuga ſua monachum induit.

Damianus *Maurocenum* Urſeoli comitem ſiluit, quem reliqui ad unum omnes loquuntur. Siluit vero, poſt *quinque* annos & *quinquaginta* ſcribens. Ait enim in prologo, ſe ſcribere de Romualdo poſt *quinque fere luſtra* ab ejus obitu. Obiit A. D. 1027. Adde triennium, habebis annos XXX. ab obitu *Urſeoli*. Scripſit ergo Damianus de *Urſeolo* circa A. D. 1052. *quinque* nimirum & *quinquaginta* annos poſtquam in cœlum iverat. Cauſſa ſilendi de *Mauroceno* ei fuit, quia hic *Cuxani* monachus factus, paullo poſt cœnobium ſancti Georgii, ut dicam, ædificaturus, in patriam reverterat. Optime Damianus præter *Gradonicum*, duos alios *Urſeolo* comites ſibi notiſſimos, *Marinum* ſcilicet virum ſolitarium *in partibus Venetorum*, & *Romualdum*, Ravennates, cives ſuos, adſignavit. Anonymus Cuxanenſis *Maurocenum*, *Gradonicum*, & *Romualdum*, præterito *Marino*, ſimiliter addit, quos non de vulgo homines, ſed *Optimates* appellat pag. 883. Ex his obiter animadvertimus, claram ampliſſimamque utriuſque gentis, *Maurocenæ* & *Gradonicæ*, apud Venetos antiquitatem, quas nimirum, exemplo non alibi certe obvio, ſua ipſa nomina ſtata & fixa ſæculo X. diſcriminarent, quæ, ut olim apud Romanos, tunc toti generi communia eſſent, quæque hodie in iiſdem gentibus poſt ſæculorum memoriam vigere noſcuntur. Aliis perinde antiquiſſimis Venetorum familiis hoc proprium eſſe, noſtra hæc lucubratio patefacit. Mabillonio de cognominibus diſſerenti in libro II. de re Diplomatica cap. VII. num. I. & II. hæc minime innotuerunt. Verumtamen utriuſque gentis ſumma laus eſt, viros tanta virtute conſpicuos

cuos

Digitized by Google

CAP. V. cuos domi habuiſſe, quorum acta tuto imitari poſſint. Itaque *Urſeoli* fugæ epocha illigatur diei 1. Septembris A. D. 978. Damianus *Gradonicum* fœdæ conjurationis in *Petrum Candianum* IV. omni Venetorum hiſtoria adverſante, participem facit. Nemo enim de *Gradonico* unquam id protulit. Immo contra, Dandulus in Chronico lib. VII. cap. XV. Parte XXXIV. in fine teſtatur, *gelida corpora* (Petri Candiani IV. ejuſque filii, in conjuratione occiſorum) *quæ ob ignominiam primitus exigua nave ad forum macelli delata fuerant, a quodam* SANCTISSIMO *viro, Johanne Gradonico, ad monaſterium ſancti Hilarii*, comportata fuiſse; tantum abeſt, ut *Gradonicus*, vir ſumma religione ſpectabilis, teterrimæ illius conjurationis conſcius extiterit. Sed Damianus vir ſolitarius, ac Venetiis, loco & tempore longe poſitus, qui *Urſeolum* ſceleris auctorem peregerat, pari lapſu *Gradonicum* facinoris ſocium peregit. Monaſterium ſancti *Hilarii*, in Venetorum hiſtoria celeberrimum, ubi *Urſeolus* monachum induens, priores exuvias depoſuit, in Inſula ſtetit, quam *Gambararias* dicunt, in proximis *Rivoalto* æſtuariis, quomodo tunc Venetiarum Ducatum & Civitatem vocabant: eſtque octo mille paſſus ab urbe juxta Meduacum amnem: qui ſitus ad duodecimum Patavio lapidem abeſt. Sed cœnobio, nunc loci paluſtris injuria labefactato, ſacra ædes tantum ſupereſt, olim beatorum *Hilarii* (qui fuit Patavinus Antiſtes) & *Benedicti* titulo inſignis. Jura ejus jamdudum coierunt cum Prioratu ſancti Gregorii civitatis Venetiarum, qui jam pertinet ad Eminentiſſimum & Reverendiſſimum Petrum Ottobonum Sabinorum Epiſcopum, & S. R. E. Cardinalem Vicecancellarium, quo potiſſimum auctore ad proce-

çerum Venetorum ſolatium hæc ſcribenda ſuſcepimus. Iſtud cœnobium, antea *capellam*, sancti *Hilarii*, Agnellus (*Angelus* vulgo legitur) & Johannes Participatii, Duces Reipublicæ Venetorum, adſentientibus ex veteri Eccleſiæ diſciplina Fortunato Patriarcha Gradenſi, ejuſque metropoli contributo Chriſtophoro ſedis Olivolenſis, alias Caſtellanenſis, civitatis Venetiarum Epiſcopo, in cujus diœceſi idem monaſterium habebatur, Johanni Abbati conceſſerunt A. D. 819. monachis ex alio cœnobio sancti *Servuli*, olim sancti *Galli*, illuc tranſvectis, monaſterioque sancti *Servuli* in ſacrarum virginum parthenonem poſtea mutato: quod jam a parvo tempore incolunt fratres hoſpitalitatis sancti Johannis de Deo. *Agnelli* tabulas vide in Italia ſacra tomo v. pag. 1190. editionis novæ. De Abbatia sancti *Hilarii* (fortaſſe Hilari) in qua priſci Venetorum Duces pietatis cauſſa tumulari conſueverunt, plura ſcire cupientem remittimus ad tomum v. Junii Bollandiani pag. 484. §. 4. ubi amicus olim noſter Conradus Janningus permulta, nec ſane proletaria, congeſſit. In codice MS. veterum monumentorum apud Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Franciſcum Triviſanum Epiſcopum Veronenſem, quem neceſſitudinis mihi cum eo intercedentis, & honoris cauſſa nomino, exſtat diploma Henrici VI. Imperatoris Uberto Abbati ejuſdem monaſterii, datum Ticini A.D. 1196. ubi alia vetuſtiora, a tempore Caroli Magni, pro bonis videlicet in Regno Italico ſitis, confirmari dicuntur: Exſtat perinde Venetorum decretum paullo poſt *Urſeoli* fugam vulgatum, unde ſubſequentia ſtilo ejus ætatis verba proferimus: *poſtmodum cum quo Domnus Petrus Dux Urſiolo reliquit honorem Ducati*, CAP. V.

CAP. V. *cati*, *& concupivit* REGULAM MONASTERII, *tunc ſucceſſit in honore Ducati Domno Vitale Candiano ſub temporibus Domnorum noſtrorum Baſilii & Conſtantini magnorum Imperatorum per Indictionem* VII. Cave putes, nomina orientalium Auguſtorum quidpiam hoc loco præter meram epocham & temporis notam ac ſignificationem denotare, ut alibi a nobis oſtenſum eſt, de ſummo imperio Apoſtolicæ Sedis in civitatem Comaclenſem adverſus loquacem & inverecunde malevolum jurium S. R. E. obtrectatorem agentibus tomo II. pag. 68. *Indictio* illa VII. eſt Conſtantinopolitana, arbitrio notariorum alibi etiam non raro uſurpata, iniens ab ipſis *Kalendis Septembribus* A. D. 978. quibus *Urſeolus* fugam ſuam maturavit. Nihil ſane præſtantius ad *Urſeoli* fugæ, ejuſque ſucceſſoris electi *Vitalis Candiani* certiſſimam epocham ſtabiliendam, excogitari poterat. Itaque *Urſeolus* A. D. 978. die I. *Septembris* principatum deſeruit, ei mox ſubrogato *Vitale Candiano*, qui & ipſe poſt *annum & duos menſes* deceſſoris ſui veſtigiis inſiſtens quatriduo ante dormitionem ſuam monachus factus eſt, depoſituſque in jamdicto cœnobio sancti *Hilarii*. Sic tradunt una omnes Venetorum Annales. Exteris tamen de *Petro Urſeolo* I. ante monachatum agentibus, menda, quæ indicavimus, facile condonanda ſunt. Siquidem uni Venetorum hiſtorici accurate, & lotis manibus ea pertractaſse noſcuntur: ad quorum fidem non unus Baronius, cumque eo Mabillonius, & Pagius A.D. 977. num. II. ſed & Carolus Sigonius lib. VII. de Regno Italiæ eodem A. D. 977. aliique, in epocha lapſi, ea, quæ nos in Damiani narratione emendavimus, conferre neglexerunt, vel certe res ipſas diligenter exponere non potuerunt, inconſultis

tis Venetorum Annalibus, verbiſque Damiani ſine ullo examine acceptis: quod Damianus ipſe, vir ſanctiſſimus, atque hiſtoricæ veritatis, ut æquum eſt credere, cultor maximus, factum noluiſset.

VI.

Res Petri Urſeoli ante monachatum, ex ſcriptoribus Venetis; poſt monachatum ex Damiano, Actiſque in cœnobio Cuxanenſi, petendæ ſunt.

URſeoli geſtis ante ejus converſionem hoc pacto emaculatis, jam ad ea, quæ vir ſanctus poſt fugam & converſionem ſuam egit, enarranda accedamus. Hæc utique nobis omnia petenda ſunt ex Damiano, Actiſque domeſticis, in cœnobio Cuxanenſi exaratis, unde ad Venetos, teſte Dandulo, antiquitus pervenerunt, quæque ad honorem ſancti *Petri Urſeoli* in divinis officiis tam *Cuxani*, quam *Rivipulli*, inque aliis forſan illarum partium Eccleſiis recitata fuiſſe, infra oſtendemus. Inde quidem ad Dandulum, libro VIII. in fine capitis XV. ea memorantem; poſtmodum ad Petrum de Marca, Stephanum Baluzium, Mabillonium, noſque ipſos denique allata fuerunt. Vir doctus & opido clarus Guido Grandius Abbas & monachus familiæ Camaldulenſis aliam Petri Vitam ad me tranſmiſit: quæ tamen ex verbis Damiani & Rivipullenſis Anonymi compacta eſt. Itaque rerum Venetarum ſcriptores uſque ad cœnobium ſancti Hilarii *Urſeolum* abeuntem proſecuti ſunt. Alii deinde illinc Veronam, Mediolanum, Vercellas, Narbonemque ad Cuxani monaſterium juxta *Canegonem*, Pyrenæorum montium caput proficiſcentem, exceperunt. *Cuxanenſis* enim, alias *Rivipullenſis* Hagiologus pag. 883. num. XI. auctor eſt, *Urſeolum* Verona prætereuntem, ne ab exploratoribus, ad eum inquirendum per Venetos immiſſis agnoſceretur, ſe unum ex agaſonibus, mulos ſequentem, ſimulaſſe. Inde media Langobardia tutus elapſus, inque Galliam Narbonenſem, quæ &

Digitized by Google

 Gothia dicta eſt, continuo deductus, *triduo* cum ſociis Narbone quievit; ac demum ad beati Michaelis cœnobium, ſancto Germano etiam dicatum, itineris metam, appropinquavit.

VII.

Urſeoli magnæ virtutes & geſta in monachatu.

UBi *Urſeolus* divino inſtinctu monaſterio ſe proximum ſenſit, præ gaudio exſiliens, equo deſcendit, nudiſque pedibus modeſtiæ & religionis cauſſa illuc accedere, ſive, ut hiſtoricus ait, *reptare* voluit; ſummaque omnium admiratione ſuſceptus, monaſticæ diſciplinæ profeſſionem inter novitios amplexus eſt, vilia quæque munia inter monachos obiens: *omnibus ſubjectus, manſuetus, hilaris, atque benevolus, necnon in corde & verbis pacificus*, verba ſunt Anonymi Cuxanenſis pag.884. num.13. Biennio evoluto, *adſcendit ad majorem gradum obedientiæ, in domo Domini cuſtos conſtitutus*, & ædituus, vulgo *ſacriſta*, factus. Pergit Anonymus *Urſeoli* ſollicitudinem in emundandis ſordibus, accendendis lampadibus, ſinguliſque Eccleſiæ miniſtris inſerviendo, enarrare. *Petebat*, inquit, *innumerabiles venias in die & in nocte, & ante horas nocturnales explebat aſſidue* INTEGRE *Pſalterii pſalmodiam*. De hac pervulgata illius etiam ſæculi x. diſciplina *totum* Pſalterium quotidie recitandi, vide præfationes piæ memoriæ Cardinalis Joſephi Mariæ Thomaſii ad utrumque Pſalterium; ſed præcipue ad editionem I. *Urſeolus* viſu Angelorum ſæpe lætatus eſt; tamen a dæmone etiam exagitatus, *quem, indito ſigno Crucis procul fugabat*. Cruenta beſtia, ut eum perturbaret, ſacræ ædis luminaria extinguere conſuevit. Sed Dei famulus ſigno crucis impoſito, ſtatim ea ſine igne accendebat. Itaque humani generis hoſtis deluſum

ſe

ſe agnoſcens, in Angelum lucis transfiguratus, vaſerrimo ingenio illi ſuggeſſit, ut patriam ſuoſque, inde multa dona cœnobio allaturus, inviſeret: quod in diſcretione ſpirituum oculatus, Abbas Guarinus, inſtinctu diaboli Petro ſuggeſtum animadvertens, vehementer triſtatus eſt; cumque ceteris monachis a Domino flagitavit, ne ab eis tantum virum *diſſociaret, cujus adventu, atque converſatione* UNIVERSA *gens illius* REGNI *gratulabatur; cernentes humilem, ac pudicam vitam, multimodis virtutum floribus decoratam: quem etiam agnoſcebant, quaſi patrem domeſtici; quaſi indigenam accolæ, quaſi conſanguineum pauperes*. Hoc tradit Anonymus; ſubdens, *Urſeolum* Spiritus ſancti gratia illuſtratum, dæmonis fraudem agnoviſſe. *Proſtratus itaque in terra, dixit, ſe reum; clamatque ſe imprudentem, dignumque flammis, eo quod diabolicis tentationibus, ſpiritualibus armis armatus minime reſtitiſſet*. Tum ſe, propterea ad antiquas regulas delinquentium monachorum flagellari ab Abbate ſuo flagitavit, quod inſidiatoris aſtus & tentationes non repuliſſet: *& hoc* (inquit Anonymus) *ſæpiſſime repetens, inſiſtebat cum lacrymis, pœnitentiam agens*, flentibus præ gaudio monachis. Pergit ſtatim Cuxanenſis Anonymus: *videntes denique Abbas & omnes fratres tantæ ejus humilitatis plenitudinem, cœperunt omnes amariſſime flere, intrantes præ gaudio atque exultantes in ejus compaſſione ejus amoris. Et hoc factum creditur Dei judicio, ut fratres roborarentur exemplo hujus patientiæ, caverentque ſe, Dei præſidio, ab inſidiis infinitis dæmonum*. Antiquus hoſtis hoc pacto devictus, *magnam molam ceræ* arripiens tam furibundo ictu *Urſeolum* contundere niſus eſt, ut cornu altaris percuſſo, ſacræque ædis lam-

CAP. VII. lampadibus extinctis, totum cœnobium contremuerit. Lampades tamen, orante Petro, rurſus miniſterio Angelorum accenſæ fuerunt. Tum vir Dei eremiticam cellulam ſibi non longe a monaſterio ædificari petiit; *ſed tam anguſtam, ut vix ſedere, aut jacere poſſet, ubi ſemper in oratione perſtitit, aut in labore manuum; non aſſumens cibum, niſi pauca olera, & panem* HORDEACEVM. Ibidem etiam *Marinum & Romualdum non longe a monaſterio* eremiticam & ſolitariam vitam egiſſe teſtatur Damianus: quibus *Petrus* noſter ac *Johannes Gradonicus* adjungi voluerunt. *Maurocenus* enim apud Cuxanenſes cum *Urſeolo* & *Gradonico* perinde monaſticam profeſſionem amplexus, Venetias pridem redierat, cœnobium ædificaturus. Hinc veram cauſſam agnoſcimus, cur in monumentis, de *Romualdo* & *Urſeolo* poſtea conſcriptis, nulla deinceps *Mauroceni* mentio habeatur. Huic *Tribunus Memmus*, alias *Memus* & *Memmius*, Vitalis Candiani Ducis ſucceſſor, A. D. 982. die XX. Decembris Indictione XI. (videlicet Conſtantinopolitana, a præteritis Kalendis Septembribus inchoata) tribus Epiſcopis & centum ac XXX. Conſiliariis una ſecum adſentientibus, donavit Inſulam ſancti Georgii, ubi cœnobium ſub regula ſancti Benedicti conſtruxit: quod etiamnum ſupereſt. Diploma ex parte edidit Nicolaus Craſſus in notis ad Rempublicam Venetam Donati Jannotii. Totum vero exſtat in Italia ſacra tomo V. pag. 1200. editionis novæ. Dandulus libro VIII. cap. XVI. Parte II. de Mauroceno loci conditore hæc habet: *nanque iſte Johannes*, GENER *Petri Urſiolo Ducis, qui terrena parvipendens, ad monaſterium ſancti Michaelis de Cuſano cum eo ivit, & factus monachus, nunc repatrians,*

trians, hanc eccleſiam impetravit, ut in religione, ſicut voverat, dies ſuos feliciter conſummaret.

CAP. VIII.

VIII. Urſeolus mira pœnitentia, ſpiritu propheti æ, & Chriſtianæ perfectionis magnitudine illuſtris.

DAmianus tradit, *Urſeolum*, deliciis in patria educari ſolitum, totamque hebdomadam cum Romualdo jejunare cupientem, ſub jejunii pondere ſuccumbere viſum. *Quare ſe ad pedes Romualdi humiliter ſtravit. Juſſus vero, ut ſurgeret, neceſſitatem ſuam cum verecundia, coactus aperuit: Pater, inquit, quia* MAGNVM CORPVS *habeo, pro peccatis meis ex hac* PAXIMATII *medietate ſuſtentare me non poſſum. Romualdus igitur fragilitati pie compatiens, conſuetæ menſuræ* QVADRAM *paximatii ſuperaddidit: & ſic labenti jam fratri, ne omnino deficeret, miſericordiæ manum tetendit, & ad peragendum* BENE *vivendi iter, quod cœperat, confirmavit.* Ita Damianus num. 14. *Subcinericium* panem *paximatio* indicari nonnulli arbitrantur. Alii rectius *bis coctum*, & certe *hordeaceum*, ut mox videbimus. Siccitas enim ex recoctione ad diuturnitatem faciebat, atque hic panis non æque lautus, ac ſubcinericius. Conſule Heribertum Roſweydum in Onomaſtico ad Vitas Patrum. At monachos a pane lauto abhorruiſſe, docuit Edmundus Martenius in Commentario ad Regulam ſancti Benedicti cap. XXXIX. pag. 519. *Paximatium* crudum quadrifida inciſione, quaſi crucis Dominicæ ſigno, decuſſari conſuevit, poſtea in totidem partes pro totidem monachis dividendum. Harum unaquæque vulgo *quadra* appellabatur, de qua olim diſſertatiunculam ipſi exaravimus. Romualdus ergo *quadram paximatii*, ideſt *quartam* partem cocti panis, *ob corporis magnitudinem*, Petro Urſeolo edendam, præter aliam *paximatii* medietatem, *duas quadras* conficientem, lar-

Digitized by Google

CAP. VIII. largitus eſt. Singuli majores panes quatuor librarum fiebant, in quaternas deinde *quadras* dividendi. *Libra* hujuſmodi poſt panis coctionem, unciis aliquot Romanam ſuperabat; unde sanctus Benedictus in Regulæ cap. XXXIX. libram *propenſam* nominavit. Itaque Urſeolus, qui *medium paximatium*, ideſt *geminas quadras* panis edebat, dum aliam *quadram* a Romualdo poſtea impetravit, exinde videtur libras tres panis in dies circiter ob *magnitudinem corporis* comediſſe. Rudem tamen intellige, quemque *bordeaceum* Damianus appellat, ob culpas & præcipue in mendacio compertis monachis alias pœnæ nomine dari ſolitum, ex Pœnitentiali sancti Columbani cap. x. num. 22. in Codice Holſtenii Parte II. & ibidem ex Regula I. sancti Fructuoſi cap. XVI. De *quadra* & *libra* agentem vide Mabillonium in Sæculi IV. Benedictini Parte I. pag. CXII. cumque eo Martenium in Commentario ad Regulam sancti Benedicti pag. 516. Urſeoli *magnitudo corporis* ſemel iterumque ab Anonymo Cuxanenſi etiam ingeritur pag. 883. num. XI. & pag. 887. n. 20. de qua nobis in antiquiſſimam ejuſdem Confeſſoris imaginem poſtea commentaturis, infra redibit ſermo. Ad hæc Damianus narrat, *Urſeolum* noſtrum *Petro filio*, qui eum Cuxani aliquando convenerat, *prophetiæ ſpiritu, ſeu revelatione aliqua, quæcumque ſibi eſſent eventura*, vaticinatum. *Novi, inquit, fili mi, procul dubio, quia Ducem te conſtituent, & proſperaberis. Tu tantummodo ſatage, ut Eccleſiis Chriſti* SVA IVRA CONSERVES, *& erga ſubditos, alicujus amore vel odio a* IVSTITIA *non declines*. Optimus parens, de filii æterna ſalute ſollicitus, nihil profecto ſanctius, nihil tutius menti ejus infigere poterat. Hæc verba, auro & cedro, magnoque Dei ſer-

ſervo plane digniſſima, tanti fecit Baronius, ut in Annalibus eccleſiaſticis A.D. 977. num. vii. condignum ea locum, quem certe merebantur, habere voluerit. Hanc Damiani de Romualdo, noſtroque *Urſeolo* narrationem Petrus de Natalibus contractam inſeruit Catalogo Sanctorum lib. v. cap. cxxiii. Porro ajunt, ſanctum Bernardinum Senenſem Chriſtophoro Mauro Duci Venetiarum ſimiliter prædixiſſe, Rempublicam ejus tandiu duraturam, quandiu *juſtitiam* recte adminiſtraret. Idem *Petrus Urſeolus* junior ſexennio ante ſanctiſſimi parentis ſui dormitionem, ætatis anno xxx. poſt Tribunum Memmum, Petri & Vitalis deceſſorum Ducum exemplo monachum, ad Venetiarum Principatum evectus eſt A.D. 991. teſte probatiſſimo illo, quem ſæpe laudavimus, Venetiarum hiſtorico. Dandulus lib. ix. initio capitis i. hæc de eo ſcribit: *hic* JUXTA *prophetiam* SANCTI *genitoris ſui, triceſimo ætatis anno Dux creatus*. In codice Triviſano MS. pag. 87. num. lii. exſtat decretum, a primoribus Venetorum hoc anno vulgatum, *de decimo, quod fuit datum temporibus domni Petri Urſioli Ducis, filii* BONI *domni Petri, itemque Ducis, Urſioli*. Lector, ſiſte quæſo parumper; nam vocula *Boni* ad alia nos properantes moratur. Ex ea quippe intelligimus, noſtrum, adhuc ſuperſtitem, in publicis tabulis raro exemplo & quaſi antonomaſtice *Boni* elogio honeſtatum. Hoc celeberrimæ ipſius *ſanctitatis* ampliſſimæ laudi vertendum eſt, quam poſt alios, a magno etiam Baronio commendari audiemus. Quum aliquot ex antiquis Venetorum Ducibus ſæpe a nobis memorari opus fuerit, non ineptum fortaſſe putabitur, ſi eorumdem laterculum ſubjecerimus, ut ea, quæ ſermo explicavit, oculi quodammodo videant. Cap. VIII.

CAP. VIII. Duces Venetorum ab A. D. 959. ad A. D. 1009.

A. D.

959 *Petrus Candianus* IV. a populo interemtus.

976 *Petrus Urſeolus* I. poſtea monachus & Confeſſor.

978 *Vitalis Candianus* Petri IV. frater, poſtea monachus.

979 *Tribunus Memmus*, poſtea monachus.

991 *Petrus Urſeolus* II. Petri I. filius, Dux Venetiæ & *Dalmatiæ*.

1009 *Otto Urſeolus* Petri II. filius.

Notandum hoc loco, Rivipullenſem *Urſeoli* Encomiaſten plures ob cauſſas Damiano antiquiorem videri. Quanvis enim de rebus *Urſeoli* ante monachatum loquens, alicubi offendat; non tamen æque ac Damianus offendit.

1 *Urſeolum* non *Vitali*, ſed *Petro Candiano* IV. in Venetiarum imperio ſubrogavit contra ac Damianus fecit.

2 *Xenodochii* ab eodem *Urſeolo* Venetiis exſtructi, quod ſiluit Damianus, diſertam mentionem facit.

3 In ejus fuga *barbæ abraſionem* recenſet, quam Damianus pariter ſilet.

4 Magnas *Urſeoli* virtutes ante monachatum fuſe deſcribit, illumque poſt deceſſoris necem, *a cunctis Venetiarum turmis* Ducem electum tradit. Hoc quoque ſcriptores Veneti una voce teſtantur contra ac Damianus narrat, qui conjuratorum fœdere *Urſeolum* Ducatu potitum obtrudit.

5 Denique Vitæ ſcriptor *duos filios* Urſeolo tribuit, intellige *maſculum* & *feminam*; licet poſtea

ſtea *feminam* cum *Johanne* marito confundat, qui fuit *Maurocenus*, Petrum ſocerum, ut dictum eſt, ad monaſterium Cuxani ſecutus, non quidem Venetiis cum *Petro* filio relictus. Hæc inter Encomiaſten, Venetoſque ſcriptores convenientia, ejuſque a Damiano receſſus, mihi facile perſuadent, illum Damiano ipſo, quem ignoravit, antiquiorem habendum. Damianus tamen ſingularia quædam de *Petro Urſeolo* ex Romualdi ſociis, ſibi laudatis, accepit, quæ ſcriptorem illum Ruſcinonenſem fugerunt.

IX. Sociorum Petri Urſeoli caſus & varia fortuna.

AD reliquos noſtri Petri ſocios poſt *Mauroceni* ex Ruſcinonenſe monaſterio diſceſſum, jam redeamus. Romualdus *octennium* cum eodem Petro, *Gradonico*, & *Marino* Cuxani tranſegit, ubi veterum monachorum inſtitutum, de quo agitur in Sæculo I. Benedictino pag. 635. undequaque ſervarunt. Simul enim TRIBUS *annis ſarculis terram frangentes, & triticum ſeminantes, ex manuum ſuarum labore vixerunt*. Ita Damianus num. XI. qui poſtea num. 12. aliud *quinquennium* commemorat, unde *octennium* effluit. Etenim Damianus rerum ſeriem aliquando intervertens, ſuboſcuros calculos ponit. Tunc Romualdus *Olibanum*, qui etiam *Oliba* dictus, primæ Galliæ Narbonenſis, hoc eſt Cataloniæ, *Comitem*, *ſub cujus* JURE *monaſterium* Cuxanenſe *Guarini Abbatis poſitum erat* (ipſo Damiano teſte num. 18.) ad monaſticam vitam convertit; unde ille Caſinum cum *Guarino*, *Marino* & *Gradonico* properavit, *ſua relinquens filio*, ut ait Damianus num. 23. Hic *Olibani* filius, qui in Vita *Urſeoli* pag. 888. *Oliba*, & *Oliva*, quod idem eſt, dicebatur, nomen alias in iis regionibus frequens, fuit & ipſe poſtea *monachus*; deinde Cuxani & Ri-

CAP. IX. vipulli *Abbas*, ac demum (ex eadem Vita) *Auſonenſis* Epiſcopus. *Olibanus* eum ex *Ermengarda* conjuge cum aliis duobus fratribus *Bernardo* & *Guifredo*, Biſulduni & Ceritaniæ Comitibus ſive Ducibus, procreaverat, quemadmodum Acta vetera a Stephano Baluzio expreſſa teſtantur in libro IV. Marcæ Hiſpanicæ pag.418. De *Olibano*, ſive *Oliba* I. idem ferme ac Damianus narrat Leo Oſtienſis in Chronico libro II. cap. XIX. Fratres ipſe habuit *Mironem* Epiſcopum Gerundenſem, & *Seniofredum* Barchinonenſem Comitem, ex veteribus ſchedis a Baluzio prolatos pag.406. & 411. *Olibanum* patrem & *Olibam* filium A. D. 984. & 985. in patria ſimul rebus nonnullis interfuiſſe prodit idem Baluzius. Prior ergo, nimirum *Olibanus*, Caſinum, Romualdo auctore, profectus eſt inſequenti A.D. 986. adſtipulante Leone Oſtienſi, qui eum ad Caſini monaſterium perveniſſe tradit ſub *Manſone* Abbate. Hic autem Aligerno ſucceſſit eodem A. D. 986. adnotante Angelo a Nuce. Vixit *Manſo* uſque ad A. D. 996. ex Camillo Peregrinio in Hiſtoria Principum Langobardorum libro II. Parte I. pag. 41. Quum ergo *Olibanus* Romualdi juſſu una cum *Marino*, *Guarino*, & *Gradonico* ſub *Manſone* Abbate Caſinum profectus fuerit; illuc ante A.D. 986. proficiſci non potuit: nec certe poſt A.D. 996. quo *Manſo* deceſſit; quadriennio ſcilicet poſtquam cum aliis Italiæ Abbatibus & Epiſcopis interfuiſſet A. D. 992. conſecrationi Halberſtatenſis Eccleſiæ in Saxonia inferiori, ex Chronico MS. apud Carolum Stengelium in Commentario de Rebus Auguſtæ Vindelicorum pag.117. Cauſſam iſtius *Manſonis* itineris, quod Mabillonius in Annalibus libro L. num. LXVII. anno citius ex Ditmaro conſignavit, vide

Digitized by Google

vide apud Oſtienſem libro II. initio capitis XVI. CAP. IX.
Itaque ex his patet, egregium virum libro XLIX. eorumdem Annalium num. XXI. *Olibani* & ſociorum Cuxano ad Caſinates iter illigare non debuiſſe A. D. 982. quo *Manſo* nondum erat Caſini Abbas; ſed toto *quadriennio* ſerius, quo Aligerno ſucceſſit. Romualdus *Olibanum* theſauro quindecim mulis impoſito, cum magno ſuorum comitatu, quos poſtea dimiſit, ad Caſinates proficiſcentem, Guarini Abbatis, & *Gradonici* præſertim fidei, commiſit, qui ei, ut *magiſtro* in vita eremitica, ex *obedientia* ſubditus erat, huic præcipiens, ut etiamſi *Guarinus* in ſacras peregrinationes abſcederet, ipſe numquam ſe ab *Olibano* ſequeſtraret. In traſcurſu obſervamus, a Damiano Romualdum honoris cauſſa *magiſtrum* ſæpenumero appellari. Ex his conſtat, Romualdum prima tirocinia vitæ eremiticæ Cuxani inter ſuos monachos Benedictinos, conſueta veſte diſtinctos, poſuiſſe, longe nimirum antequam eremi Camaldulenſis ordinem in epiſcopatu Aretino ſeorſum inſtituiſſet. *Guarino*, quem dixi, Hieroſolymam poſtmodum cogitante, *Gradonicus* illuc pariter commeare decrevit, *Olibano* fruſtra obteſtante, ne datam fidem, & præcepta Romualdi *magiſtri* violarent, cui ſe uterque, ſed præcipue *Gradonicus*, a Comite non diſceſſurum, Cuxani ſpoponderat. Sed *Gradonico*, qui præ *Guarino* inobediens Romualdo *magiſtro* fuerat, *Guarini* equus, in furias actus, ferrato calce tibiam confregit. Quare nutu Dei ad *Olibanum* lacrymantem reverſus, eum poſtea nunquam deſeruit; ſed cella prope monaſterium ſibi conſtructa, *per triginta fere annos, quandiu vixit, in ſancta converſatione permanſit*. Damianus hæc narrans num. 24. præcellentes *Gradonici* virtu-

CAP. IX. tutes ſumme commendat, *Sanctum* appellans, & *poſt ejus obitum nonnulla per eum miracula divinitus facta* etiam fuiſſe teſtatus. Hinc *Gradonicus* obiiſſe videtur circa A. D. 1016. Tertius *Olibani* ſocius *Marinus* Eremita quum in Apuliæ ſolitudinem ſe abdidiſſet, a latrunculis Saracenis peremtus eſt. *Olibano* & reliquis Cuxano ad monaſterium Caſinatium diſcedere paratis, nuncius Ravenna ad Romualdum adfertur de *Sergio* patre in propoſito monaſtico, cui ante, ipſo filio Romualdo auctore, ſe addixerat, vacillante. Quapropter *Olibano* Caſinum tranſmiſſo, ipſe *pereunti patri quantocius ſubvenire* conſtituit: quo cognito, agri Cuxanenſis incolæ *nimio mærore turbati*, de eo *impia pietate* interimendo conſilium inierunt, ut, ſi Romualdum vivum apud ſe retinere non poſſent, ſaltem ejus exuvias *pro patrocinio terræ* ſibi ſervarent. Sed Romualdus, *capite undique decalvato* ſe ſtultum ſimulans, ad ſuos cum *baculo* & *nudis pedibus* abire permiſſus eſt, apud quos deinde obiit die xx. Junii A. D. 1027. ætatis annorum *centum & viginti*: quæ Damiani verba, ſummam annorum indicantia, nullo pacto cum Johanne Bollando die VII. Februarii pag. 103. §. III. num. 19. ſollicitanda eſſe arbitramur. Damianus num. 19. his enarratis, ſequentia verba ſubnectit: *Petrus autem Dux extremum jam diem feliciter clauſerat*. Hæc tamen aliunde irrepſiſſe, poſito etiam pignore contenderim. Non enim ibi apte conſiſtunt: nec certe Vaticanus Damiani operum codex 3797. ubi ea ſunt verba pag. CLXXXXII. col. 2. cap. XII. dici debet autographus, utpote a calligrapho exaratus A. D. 1113. quod patet ex chirographo ad calcem abraſo, & poſtea utcunque Italice reſtituto. *Urſeolus* vero ſaltem *decennio* ſerius, quam di-

Digitized by Google

Radulfus monachus Rivipullenſis & epiſcopus Urgellenſis.

Ermengaudus.

Guifr

Suniarius
s & Marchio Ur-
nſis A. D. 944.
xor Richildis.

Miro Gerundenſis epiſcopus & Comes A D. 977.

Wi
Comes U
& Biſul
occiſus A

Borrellus
es Barchinonenſis
Urgellenſis obiit
A. D. 993.
es Letgarda & Ai-
erudis.

Bernardus Cognomento *Talliaferrum* Comes Biſuldunenſis A. D. 990.

Willelmus Cognomento *Craſſus* obiis A. D. 1053.

Bernardus.

Willelmus Cognomento *Trunnus* obiit A. D. 1111.

udus
rgel-

Raymundus Comes Barchinonenſis.

Berengarius Comes Barchinonenſis.

Raymundus.

Willelmus.

ONALE VITTORIO EM NAPOLI

dicitur apud Damianum, *extremum diem feliciter* CAP. IX.
clauſit, nemine ex iis, qui Cuxanum illum perduxerant, ibi amplius ſuperſtite præter unum *Guarinum*, Hieroſolymis antea reverſum, qui *Urſeolo* morienti adſtitiſſe a nobis exiſtimatur. Ejus enim piæ dormitioni diu ſuperſtes ibidem fuit, ut ſupra obſervavimus. Sed *Olibanus* Caſini haudquaquam perſtitit in propoſito. Quandoquidem ex Ceritaniæ monumentis, per Baluzium excuſſis libro IV. Marcæ Hiſpanicæ pag. 414. conſtat, eum ad ſuos jam rediiſſe A.D. 988. ibidemque demortuum A.D. 990. relictis filiis, a me ſuperius enumeratis. Vide Geſta Comitum Barchinonenſium capite VII. & X. David Blondellus gentis *Olibani* ſtemma concinnavit in Genealogiæ Francicæ pleniore aſſertione, tomo II. pag. XIX. Tabula XVIII. Sed nos ex chartis in eadem Marca Hiſpanica poſt Blondellum adductis, aliud per nos ipſos ad rerum, de quibus agimus, clariorem explicationem, paullo tutius & accuratius contextum, hoc loco proferimus.

Stemma Comitum Barchinonenſium.

In-

CAP. X.

X. Urſeolus meritorum plenus pie obit & miraculis claret.

INterim *Urſeolus* annis *undeviginti* monaſticæ & eremiticæ vitæ completis, ſupremum ſibi jam diem imminere, a Domino *revelatum* ſentiens, ex *oratorio*, ubi Deo vacaverat, egreſſus, modica febri corripitur. Mox *præſcius temporis ſui exitus, advocans fratres cum monaſterii Patre, eiſque, pacem tribuendo, valedicens*, nunciat, ſe poſt triduum e carnis ergaſtulo migraturum. *Adſignato itaque die adveniente* (inquit Anonymus Cuxanenſis) *perſiſtens in vigiliis, & orationibus nocte dieque, quum efficacius ad omne erudimentum divinæ contemplationis ſe ſollicitum & elucubrantem exhibuiſſet, corpore & ſanguine Domini aſſumto, & benedictione ac abſolutione viatica ſuſcepta* [rituque veteri monachorum] *in* CINERE *&* CILICIO *jacens, & plurima referens, vix promovendo linguam, de inſtitutione divini cultus, hora* IX. IV. *Idus Januarias, jam reddito fructu* XIX. *annorum, fratribus omnibus circumadſtantibus*, quibus ac Deo ſe religioſiſſime commendavit, in pace quievit anno ætatis LXIX. depoſitus die inſequenti. Ex his chronologicis notis exſurgit certus dies & annus emortualis viri ſancti contra ac viſum eſt Pagio A. D. 977. num. II. Dies ergo fuit x. Januarii A. D. 997. Indictione x. Gregorii V. pontificatus anno I. etiamnum decurrente, quum Petrus Urſeolus junior Venetiis præeſſet: qui poſtmodum A. D. 1009. *Ottoni* filio ſuo thronum ducalem implendum reliquit. Verba, quibus Dandulus Ottonem hunc Ducem graphice pinxit in Chronico libro IX. initio capitis II. audire non pigeat; quandoquidem avi *ſanctitatem* rurſus attingunt: *Otto Urſiolo Dux, defuncto patre, præeſſe cœpit anno Domini noſtri Jeſu Chriſti* MIX. *Hic erat fide*

fide catholicus, virtute ſerenus, juſtitia robuſtus, religione perſpicuus, habitu decorus, divitiis præpotens, omnique bonitate adeo repletus, ut merito optimi Patris, SANCTI*que* AVI *ſucceſſor eſſe, ab omnibus digniſſimus agnoſceretur*. Poſtera die a noſtri Confeſſoris obitu, quæ fuit XI. Januarii, a nonnullis cum ipſo die obitus male confuſa, *Oliva*, alias *Oliba*, *Patriæ dominus* & *Dux illius provinciæ*, uti loquitur vitæ libellus; idemque filius *Olibani*, qui ad Caſinates pridem confugerat, Petrum viſurus, licet ſero nimis, tandem advenit. Petrus jamjam moriturus *utile conſilium* (utique amplectendæ vitæ monaſticæ) *ac pacis oſculum* ei dare cupiebat; ſemel propterea atque iterum ex fratribus ſciſcitatus, num Oliba *antequam* ipſe Petrus *migraret relinquens ergaſtulum corruptibilis naturæ, cauſſa videndi eum, in extremo colloquio ſanctæ memoriæ veniret*? Itaque Dux a beato viro exſpectatus, optatiſſimi amici feretro impoſiti exequiis cum *primatibus* ſuo imperio ſubjectis mœſtus interfuit. Cuxanenſes enim, quique illuc ex Helenenſi diœceſi & aliunde confluxerant, *ductum in Eccleſiam* HONORABILE CORPVS, *celebratis miſſarum ſolemniis cum omni honore &* DEVOTIONE *mentis, ſepelierunt in* CLAVSTRO *juxta oſtium Eccleſiæ*; ritu ſcilicet Chriſtiano & perantiquo, a me in Commentario de ſancta Columba, & fuſius nuper expoſito in Diſquiſitione de Corpore ſancti Auguſtini cap. XXIV. Ita domeſticus ille teſtis in *Petri* Vita ex codice Cuxanenſi, quo Mabillonii contextus non uno in loco ſuppletur atque emendatur. Tantus honor inferiarum niſi viro ſanctiſſimo fieri non debuit. Ritu autem Mozarabico illarum partium Galliæ Narbonenſis pro *Confeſſoribus*, licet vere *ſanctis*, inque tabulas etiam *Sanctorum* CAP. X.

CAP. X. ab Eccleſia relatis, Deo preces & ſacrificia offerri conſueviſſe, poſtmodum aperiemus. Sed rurſus Anonymum audiamus: *non poſt multum autem temporis, a fratribus* PLVRIMIS *viſa ſunt ſuper ſepulcrum ejus* DIVINITVS *accenſa luminaria, quæ miro candore refulgebant per* OMNIA *loca illius clauſtri*. Ad hæc monachus, cœnobii Cuxanenſium æditus, cui noſter in eodem officio olim præfuerat, preces *in oratorio* ad Deum fundens, in mentis exceſſu, *& quaſi in ecſtaſi poſitus, vidit beatum Michaelem Archangelum cum multitudine Angelorum atque beatum Petrum Apoſtolum cum ordinibus martyrum, confeſſorum & virginum, Deo reſonantes ſpirituales laudes, inter quos & prædictus nobiliſſimus Dux Petrus inter infinitas ac innumeras beatiſſimi Benedicti monachorum cohortes*. Ita domeſticus ille Anonymus Rivipullenſis vel Cuxanenſis pag. 88-. Hic autem ſcriptor Petro æquales viderat: quos tamen, hæc literis mandans, *a ſæculo jam migraviſſe* affirmavit; ex mortali nimirum hac vita certe, non *integro ſæculo*, ideſt *centum annorum* curriculo citius, ut arbitratus eſt Pagius A. D. 977. num. II. Hiſtoricus enim tradiderat, quotquot Petri funeri interfuerant, *Dominum laudaſſe eo quod talem meruiſſent habere, a longinquis regionibus venientem, ex ea congregatione* MODERNO TEMPORE, *ſuccedentibus ſuis* (Petri) *munificentiis muniti*, PATRONVM. Itaque nuper vir juſtus in vivis exſtiterat. Audin', *Petrum Urſeolum* ob ſuas *munificentias* & merita in Cuxanenſium monachorum Congregationem, hujus *Patronum* vocari? Hoc nunquam, niſi de viro canonicis, publiciſque calculis *ſancto*, intelligi auditum eſt. Infra Cuxanenſis Hiſtoricus de gemino illo viſu locutus, ita ſer-

Digitized by Google

ſermonem abſolvit: *hoc audiens omnis congregatio*, *non minimas referunt gratias Deo*, *qui in* SANCTIS *ſuis* (in Petro) *multa operaretur* MIRA, videlicet ſigna & miracula. Beatus Hieronymus ſimiliter narrat in Vita Paulli Eremitæ cap. XII. Antonium Abbatem animam ejus vidiſſe, inter *Angelorum catervas & inter Prophetarum & Apoſtolorum choros in ſublime conſcendere*. Ita quoque ſanctus Apollonius animam fratris ſui in *throno Angelorum cum Apoſtolis* ſedentem conſpexit apud Palladium cap. LII. Hiſtoriæ Lauſiacæ pag. 748. edit. II. Heriberti Roſweydi.

CAP. XI.

XI.

Oliba Auſonenſis Antiſtes beatum Petrum Urſeolum miraculis clarum ſynodali celebritate per ſolemnem corporis *elevationem*, ſanctorum Confeſſorum canoni adſcribit.

FAma ſanctitatis *Petri Urſeoli* in tota regione Confluentina percrebuit. Nec ſolum in Gallia I. Narbonenſi epiſcopatum Helenenſem, ubi *Cuxanum* eſt poſitum, pervolavit, proximam parœciam ſeu diœceſim *Auſonenſem* in provincia olim Tarraconenſi, ubi ſtetit Abbatia Rivipulli, ſimiliter pervagata; ſed inde in Italiam quoque ad noſtros Venetos ſeu *Veneticos*, ut tunc vocabantur, excurrit. Scriptor enim ille antiquiſſimus, qui res Venetorum ad annum uſque 1008. proſecutus eſt, de Petro Urſeolo juniore ſermonem habens, ita loquitur: *qui* (Petrus junior) *probitate & actu haud degenerans a* DIVO *parente*. Ergo Urſeolus ſenior A. D. 1008. *divus*, ideſt *ſanctus*, dici meruit. Mabillonius in libro II. de re Diplomatica cap. VII. num. I. *Divi* nomen ad *ſanctum* deſignandum, ſe nuſquam in antiquis auctoribus reperiſſe ait. Certe rariſſimum eſt; neque alibi forte obvium. Quod tamen nos reperimus, pro exemplo erit. Dandulus *Feliciam* quoque, noſtri *Urſeoli* conjugem pientiſſimam, *divæ* titulo ornavit, ut vidimus ſupra

E 2 cap. III.

CAP. XI. cap. II. pag. 8. Huc recidit veterrima epigraphe, ſive elogium, *quaſi carmen*, in primævo illo, quod alibi dixi, Reipublicæ Venetorum prætorio, imagini ſancti *Petri Urſeoli* poſt ejus deceſſum de more ſtatim adpictum, quod damus ex Sanſovino libro XIII. fol. 268. 2. In eo vir ſanctus, ut reliqui in ceteris, vel ex ſolo antiquitatis nomine æſtimandis, ita de ſe loquitur:

Hoſpitale sancti Marci prior ædificavi,
Deinde & monachus factus, MIRACVLA PLVRIMA *egi.*

Marcus Velſerus, vir doctus, ſed Veneto nomini parum æquus, ait, a nonnullis putari, ea Ducum elogia, quæ alias *Brevia* vulgo dicuntur, mox a ſingulorum tranſitu, ut plurimum fuiſſe compoſita; ac ſaltem ex re ipſa & ſtilo conſtare, ea eſſe *antiquiſſima*. Utique iſtud Urſeolanum Petro ipſi æquale vel omnino proximum eſt. Redolet enim ſimplicem illam ac minime fucatam illius & ſuperiorum temporum Chriſtianam ſimplicitatem, Commodiani Inſtructionum ſtilo perſimilem: quas Gennadius in Catalogo cap. XV. ab eo ſcriptas ait, *mediocri ſermone, quaſi verſu*. Ravennæ aliquot ab hinc annis hujus generis inſcriptio ſepulcralis cuidam *Sergio Levitæ*, ad ſancti Vitalis reperta eſt; noſque ipſi aliam in Titulo ſancti Clementis Romæ pridem effoſsam, protulimus ad calcem Commentarii in Diſcum votivum. Ejuſdem tenoris literatum lapidem Chriſtianum, mihi, ut ſæpe ſolet, rem gratam facturus, exſcripſit ſedulus talium indagator, Johannes Dominicus Bertolus, patriarchalis noſtræ Eccleſiæ Aquilejenſis Canonicus. Quædam *Olympia Paulino* patri illum erexerat. Hæc propter ſim-

ſimplex, ſed æque ſincerum Urſeoli elogium, *mediocri ſermone, quaſi verſu* exaratum, animadvertimus. Itaque noſter Petrus *miraculis*, in elogio atque alibi compluries memoratis, quæ ſanctitatem comitantur & manifeſtant, a dormitione ſua ſtatim inclaruit, quorum memoria in ipſo prætorio Venetorum palam exponi meruit. Hinc factum, ut *Oliba*, vir princeps, ac dudum Cuxani Dominus, deinde monachus, & poſt Guarinum loci Abbas, ac tandem Auſonenſis Epiſcopus, olim beato *Petro Urſeolo* viventi juxta ac in cœlum translato addictiſſimus, ſanctorum Confeſſorum canoni illum adſcripſit. Magna Eccleſiæ cœremonia, tunc paſſim recepta, id egit Oliba, *vice Berengarii*, qui loca ſancta veneraturus, transfretaverat, diœceſim Helenenſem, & Cuxani etiam cœnobium pro *Sede Apoſtolica*, perluſtrans, optimo & luculento Cuxanenſi Anonymo teſte, qui Petri geſta literis conſignavit ſæculo XI. ac certe poſt A. D. 1009. Meminit enim num. 10. corporis ſancti *Valentini martyris*, quod Guarinus Romæ a Sergio Papa [IV.] impetraverat. Sedit Sergius ab A. D. 1009. ad A. D. 1012. Guarinus obiit A. D. 1011. quo anno Sergius unum & alterum diploma *Olibæ* conceſſit in Marca Hiſpanica pag. 978. & 983. *Oliba* ergo *Auſonenſis* Præſul, ut ait idem Anonymus num. 21. & 22. pag. 888. quum *ſecundum conſuetudinem* [epiſcopalem] COMMISSAS *oves* [ſibi a Berengario Helenenſi epiſcopo in Palæſtinam ituro] *inviſeret, perſpiciens uniuſcujuſque vitam, eradicans vitia & plantans virtutes; ad prædictum cœnobium, ſemper ſibi dilectum* [profectus eſt, ubi] *revelatum ſibi eſt, aliiſque fratribus, ut corpus* VENERABILIS *Petri Ducis Venetiarum, ab ipſis* TRANSMVTATVM (nimirum ex clauſtro) *pone-*

CAP. XI.

CAP. XI. *neretur intra Eccleſiæ gremium*. Auſonenſe, alias *Auſonienſe*, *Alſonenſe* & *Vicenſe* opidum epiſcopale, metropoli Tarraconenſi, & Narbonenſi olim ſubjectum, in finibus Carcaſſonenſis, veteriſque Toloſatis, nunc sancti Papuli, diœceſeon, ſtetiſſe compertum eſt. Optimus ergo *Auſonenſis* antiſtes *Oliba* receptam, quam dixi, univerſalis Eccleſiæ diſciplinam in ſacra hac pompa obſervaturus, cuncta rite diſpoſuit; nec ſolum omnes diœceſis Helenenſis, ſed totius regionis Ruſcinonenſis & Ceritaniæ, ſuæque Tarraconenſis provinciæ populos ad ſolemnia in *Petri* honorem Deo peragenda convocavit. In illius enim *converſatione* VNIVERSA *gens illius* REGNI *gratulabatur*, inquit hanc in rem alibi adductus ſcriptor Vitæ pag. 885. num. 15. Eundem Hagiologum de ſacro illo ritu loquentem audiamus: *tunc Domnus Oliva pontifex advocavit* OMNEM *populum* REGIONIS *illius &* PROCESSIONALITER *cum* MAXIMO *apparatu* DIVINI CVLTVS *tranſmutavit* (nempe tranſtulit) CORPVS *ejus in ſepulcrum, ubi* NVNC *requieſcit*. Mox pergit: *in quo loco* MVLTA *oſtenduntur a Deo* MIRACVLA *fratribus ibi commorantibus, meritis beati Michaelis Archangeli & aliorum Sanctorum, quorum reliquiæ ibi requieſcunt,* MERITIS*que Petri Venetici Ducis, ejuſdem loci monachi, qui* PERFICIENS BONVM CERTAMEN, *&* CONSVMMANS *curſum, fidemque* SERVANS, *promeruit* CORONAM *juſtitiæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Ad quam* CORONAM *Dominus noſter Jeſus Chriſtus perducens* SVVM FIDELEM *Petrum, eduxit eum a morte, dans ſibi vitam, in qua mors ignorat ſuam palliditatem; in qua nullus defectus ſcitur, nulla corruptio invenitur. Non eſuries, vel ſitis habent ibi nomen, non frigus vel æſtus exhibent contrarie-*

Digitized by Google

rietatem. *Sed eſt ibi* GAUDIUM *inenarrabile*, LÆTITIA *infinita*, PAX *æterna*, *& interminabilis vitæ* CORONA, *quam tribuat omnipotens Deus cunctis credentibus*, *atque obedientiam* HUJUS *imitantibus* CLARISSIMI VIRI, *quem de mundi pompa erigens*, *ſocium dedit* ÆTERNÆ *curiæ*. Tot formulæ, diſertum undequaque de viro juſto exactumque teſtimonium ferentes, ſpecialem a nobis obſervationem expoſcunt. De Petri ſanctitate, canonice comprobata, hæc nos veterum Acta docuerunt. *Miraculis* in clauſtro ad ejus ſepulcrum viſis, & rite poſtea recognitis hoc factum eſt. Solemnem autem corporis *elevationem* antiquitus in *canonizatione* Sanctorum præcipuo loco habitam, complura exempla patefaciunt, quorum aliqua, rei demonſtrandæ apta, inferius adducam. Veram ergo Petri *canonizationem*, virtutibus ejus & miraculis exigentibus, factam habemus ex pervulgata illius, priorumque ſæculorum Eccleſiæ diſciplina, in univerſis regionibus, inque ipſa Italia maxime cuſtodita longe ante Alexandrum III. Pont. Max. qui primus omnium ſanxit, non licere, niſi auctoritate Romanæ Eccleſiæ deinceps *aliquem venerari pro Sancto* Tit. XLV. *De Reliquiis & veneratione Sanctorum* cap. I. *Audivimus*; quanvis dici non poſſit, Urſeoli canonizationi auctoritatem quoque S. R. E. non intercеſſiſſe: quam Liutolfus Auguſtanus Epiſcopus, Concilio Romano præſens, *quadriennio* ante dormitionem *Urſeoli*, pro Udalrico deceſſore, in Sanctorum tabulas referendo, ſponte ſua requiſierat A. D. 993.

Quo-

CAP. XII.

Quoto Chriſti anno Auſonenſis Antiſtes ex delegata auctoritate Petrum Urſeolum Sanctorum Confeſſorum canoni adſcripſerit.

QUoto Chriſti anno ſolemnis hæc Petri Urſeoli *canonizatio* facta fuerit, inquiramus. Quin *Auſonenſis* Epiſcopus delegata, non ſua auctoritate in aliena diœceſi Helenenſi id fecerit, nequaquam eſt dubitandum. Delegata autem juriſdictione & auctoritate in Helenenſi epiſcopatu fungebatur *Oliba* A. D. 1027. Hoc patet luculente ex Synodo Helenenſi, quam eodem anno, die XVI. Junii celebravit ipſemet *Oliba pontifex Auſonenſis ad* VICEM *Berengarii Helenenſis Epiſcopi, tunc temporis in* TRANSMARINIS *partibus peregrini.* Sic enim legitur in eadem Synodo, quam ex tabulario Eccleſiæ Helenenſis depromtam emiſit Baluzius in Petri de Marca libro IV. de Concordia cap.XIV. pag.435. editionis III. anni 1704. *Olibæ* præterea *Vicenſi*, hoc eſt *Auſonenſi*, Epiſcopo, qui ante pontificatum monaſterio Cuxanenſi poſt Guarinum Abbas præfuerat, hujus monaſterii *fuit* COMMISSVM REGIMEN & præfectura, ut in Geſtis Comitum Barchinonenſium legitur cap. XI. Hæc autem *commiſſio* ab una Sede Apoſtolica manavit, ſub cujus jure & ſpeciali protectione Johannes XV. Pont. Max. Abbatiam Cuxanenſem, *Olibano* Olibæ antiſtitis parente, & *Guarino* Abbate flagitantibus, ſuſceperat A.D. 985. quod privilegium Clemens IV. poſtea Viterbii confirmavit die XIV. Maii A. D. 1268. apud Baluzium in Marca Hiſpanica libro IV. pag.411. Literæ Johannis XV. proſtant ibidem in Appendice num.CXXXV. pag.934. Inde factum, ut Cuxanenſis Abbas uſque in præſentem diem hoc modo inſcriberetur: *Divina & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia Abbas devoti monaſterii ſancti Michaelis Vallis Cuxanenſis, ordinis ſancti Benedicti, nullius diœceſis, ſed ad ſanctam Romanam*

nam

nam Eccleſiam , tam in capite , quam in membris CAP. XII.
immediate ſubjectus . Ceterum Sedes Apoſtolica *Olibæ* Auſonenſi Epiſcopo monaſterii Cuxanenſis, aliorumque præfecturam eo modo largita eſt, quo Johannes XIX. Pont. Max. A.D. 1008. ut olim innuimus, illam *Guarino* Abbati ejus deceſſori antea tradiderat: qua de re vide Mabillonium in Annalibus libro LIII. num. XIV. Diploma pontificium pariter exſtat in Appendice ad Marcam Hiſpanicam num. CLVII. pag. 966. *Oliba* ergo Auſonenſis Epiſcopus, *Olibani* filius, etiam ex ſibi tradita *commiſſione Apoſtolica*, Urſeolum in ſanctorum Confeſsorum tabulas retulit, quum ſummi Pontifices per ea tempora non in unis tantum ſuburbicariis, ſed in longinquis etiam regionibus, Sanctorum *canonizationes* Epiſcopis faciendas committerent. Ita Petrus Burgenſis in Hiſpania Epiſcopus, ex *commiſſione* ſibi facta ab Alexandro II. Pont. Max. circa A. D. 1062. in Sanctorum Confeſſorum diptycha recipiendum ſanxit nomen *Beati Enneconis*, *Onnienſis* Abbatis Benedictini, quinquennio ante, ideſt A. D. 1057. defuncti. De hoc vide Acta Sanctorum Junii Bollandiani tomo 1. pag. 119. §. 36. quod ſeorſum nos ipſi paullo ante adnotavimus ad literas Beati Urbani II. Hic enim pariter *commiſit* Biſantio I. Tranenſi in Apulia Archiepiſcopo, ut auctoritate Apoſtolica *Nicolaum Peregrinum* in cœlitum faſtos pro ſuo arbitrio referret. Sicut in Sanctis *Petro Urſeolo*, *Ennecone Abbate*, ac *Nicolao Peregrino* factum eſt, pari pacto Leo IX. de ſancto *Simeone* monacho Padolironenſi faciendum injunxit Epiſcopis Mantuano & Mutinenſi literis ab Arnoldo Wionio prolatis in *Ligno Vitæ*, quod eſt Martyrologium Benedictinum, tomo II. pag. 239.

F Ita-

Digitized by Google

CAP. XIII. Itaque *Auſonenſis* antiſtes non ſua, ſed ſpeciali auctoritate Apoſtolica apud *Cuxanenſes*, juxta ac ordinaria in tota diœceſi *Helenenſi* pro Epiſcopo Berengario in Palæſtina peregrino, eo tempore fungebatur, quo ſancti *Petri Urſeoli* corpus ibidem *tranſmutavit*, hoc eſt de priori loco *elevavit*, inque ſepulcrum *intra Eccleſiæ gremium* tranſtulit, quemadmodum *Urſeoli* Acta nos docent. Hæc *tranſmutationis* phraſis in ſimilibus alibi occurrit. Quare id ſumma religione & maxima pompa, uti res tanta ubique terrarum ſemper fieri conſuevit, factum fuiſſe comperimus; *ſynodali* nimirum, ad quam regionis Ceritaniæ & Ruſcinonenſis, Marcæ nimirum Hiſpanicæ, ac utriuſque provinciæ, Tarraconenſis & Narbonenſis, quibus *Auſonenſis* & *Helenenſis* Eccleſiæ comprehendebantur, ſacri miniſtri populique convenerant. Synodus enim, quæ in *prato* Comitatus Ruſcinonenſis ac diœceſis Helenenſis, *Tulvies* dicto, prope *Cuxanum* acta eſt, eadem omnino pro cleri, populique ſalute facienda conſtituit, quæ *Oliba* Epiſcopus dum Sanctorum canoni *Petrum* adſcripſit, in ejus Geſtis feciſse narratur. Ex his perſpicuum fit, eadem Geſta poſt A. D. 1027. quo hæc evenerunt, fuiſſe conſcripta.

XIII.

Guarini & Olibæ Cuxanenſium Abbatum, qui plurium Abbatiarum præfecturam ſibi a ſummis Pontificibus traditam geſſerunt, anni emortuales.

Mabillonius, vir ſummus, de *translatione* ſancti Hilarii Epiſcopi Carcaſſonenſis in Sæculo V. Benedictino agens pag. 553. inque Obſervationibus præviis ad Acta *Urſeoli* pag. 878. anxius eſt in cauſſa exquirenda, cur hujus Anonymus Encomiaſtes *Olibam* Cuxani Abbatem ſtatim poſt *Guarinum* conſtituat, præterito *Aſtero*, qui præerat A. D. 1017. apud Baluzium in Capitularibus tomo II. pag. 631. In promtu cauſſa eſt. Scriptor

ptor ille non unum *Aſterum*, ſed *Giffredum* etiam, poſt *Guarinum* adhuc viventem, & Cuxani Abbatem ſeu vicarium & rectorem, præteriit. *Guarinus* enim, toties a nobis laudatus, generalem veluti præfecturam monaſteriorum illarum partium ex *commiſſione Apoſtolica* gerebat; *Lezatenſis* nimirum, sancti *Hilarii Carcaſſonenſis*, sanctæ Mariæ *Electenſis*, sancti Petri *Garnenſis*, & sancti *Michaelis Cuxanenſis*. Ut præfectus generalis, ſub ſua poteſtate habuit *Vicarios Abbates*, Hugonem in *Garnenſi*, Benedictum in *Lezatenſi*, qui rector erat duorum etiam ſubſequentium monaſteriorum, sancti *Hilarii* & sanctæ *Mariæ*. Hæc ipſemet Mabillonius poſtea didicit ex diplomate Johannis Papæ XIX. paullo ſuperius commemorato: quo eorundem cœnobiorum præfectura generalis *Guarino* Abbati a Pontifice confirmatur. *Giffredus*, qui & *Guifredus*, titulo *Abbatis*, monaſterio *Cuxanenſi* præerat etiam A. D. 1004. in charta a Baluzio vulgata in Marca Hiſpanica num. CLII. pag. 961. *Oliba* ergo, nondum *Auſonenſis* antiſtes, *Guarino* ſublato A. D. 1011. ut dictum eſt ſupra cap. XI. pag. 37. fuit *Rivipullenſis* & *Cuxanenſis* Abbas particularis: quo anno a Sergio IV. Pont. Max. pro utroque illo ſuo monaſterio geminum diploma, antea indicatum, impetravit. In priore cœnobium *Cuxani* locatur in valle *Confluente* ad fluvios *Literanum* & *Tetim*, radiceſque montis Canigonis. *Oliba* poſtea ad Sedem *Auſonenſem* evectus, in præfectura monaſteriorum, præſertim *Cuxanenſis*, non Giffredo, neque Aſtero, *Vicariis Abbatibus* ſeu *rectoribus*, ſed ex *commiſſione Apoſtolica* ipſi *Guarino* ſuffectus, propterea unius *Guarini* ſucceſſor jure appellatus eſt. Hinc probe intelligimus, cur idem *Oliba* ante epiſcopa-

CAP. XIII.

F 2 tum

CAP. XIII. tum ab Encomiaſte Urſeolano dicatur *Abbas in eodem cœnobio*. Poſt epiſcopatum vero in iiſdem Urſeoli Actis apud Baluzium tomo II. Capitularium pag. 1304. inque Sæculo v. Benedictino pag. 888. num. 21. vocatur MVLTARVM *Abbatiarum eximius* PATER, *præcipue tamen sanctæ Mariæ Rivipullenſis, sanctique Michaelis Cuxanenſis*. Ita enim proſtat in codice Cuxanenſi, ubi *Arulenſis* ex conjectura ſubſtituit Mabillonius. Hinc tenebræ, ante Annales vulgatos eidem offuſæ, penitus diſſipantur. Quod ſupereſt, *Oliba* Auſonenſis interfuit conventui Rivipullenſi A. D. 1032. in Conciliis Labbei tomo IX. pag. 935. Deinde alteri A. D. 1035. apud Mabillonium lib. VI. de re Diplomatica num. CCIV. pag. 614. edit. II. Ad hæc A. D. 1038. & 1045. præſens fuit gemino Concilio Narbonenſi in eodem tomo IX. Labbeano pag. 938. & 942. Tandem virtutum & meritorum gloria ſpectatiſſimus, in ſuo *Cuxanenſi* monaſterio decedens, inſignem reddidit annum 1047. ibidem tumulatus, ex Marca Hiſpanica libro IV. pag. 445. In Geſtis Comitum Barchinonenſium cap. X. vixiſſe dicitur in epiſcopatu annos XXVIII. & rexiſſe cœnobia XXXVIII. Auctor Vitæ *Urſeoli* num. 21. *in ſenectute poſitum* obiiſſe tradit, addens & ipſe, *eum requieſcere* in cœnobio sancti Michaelis. Scripſit ergo idem Anonymus poſt hunc annum 1047. ſique non ante Damianum, certe nec poſt Damianum, per ea tempora procul in Italia florentem. Hoc loco mirari ſubit, Hadrianum Valeſium, rerum Francicarum ceteroqui peritiſſimum virum, multa in hiſtoria Galliæ I. Narbonenſis non contemnenda, ne dicam ſcitu digniſſima, prorſus indicta præteriiſſe in pereruditа ſua *Notitia Galliarum*. Talia ſunt, *Cuxanum*, *Confluentina* vallis, *Auſona*, ſive *Al-*

Alſona civitas, amneſque *Literanus* & *Tetis*. Immo in charta ipſa chorographica, Marcæ Hiſpanicæ præfixa, *Cuxanum*, quanvis ob Acta *Urſeoli* noſtri longe celeberrimus locus, omnino abeſt. At non omnia ſinguli poſſumus.

XIV.
Variæ Sanctorum canonizationes ab Epiſcopis per corporum *elevationem* factæ ante Petrum Urſeolum, eo prorſus ritu, quo ipſe inter Sanctos relatus eſt.

PErvetuſta vel potius primæva hæc, de qua agimus, Eccleſiæ diſciplina viros juſtos & miraculis claros per corporis *elevationem*, ſive *tranſmutationem* referendi in canonem Sanctorum, ubique olim apud Epiſcopos, maxime, ſi non unice, viguit. Acta cœlitum ſedulo permeanti, complura ejus exempla facile occurrent. Horum mihi non eſt animus numerum inire; longum enim iter eſſet conficiendum. Paucula quæpiam & celebriora dumtaxat, *ante* & *poſt* noſtrum *Urſeolum*, hujus *translationis* ritui, ſynodali celebritate *Cuxani* peracto, conformia, huc advocabo.

1 Primus adveniat sanctus *Johannes*, *Reomænſis* Abbas, qui, teſtibus ejus Actis in Sæculo I. Benedictino pag. *636.* num. 14. juxta ac sanctus Romualdus, *migravit ad Dominum circiter centum viginti annorum*. Hujus corpus extra Baſilicam, quemadmodum sancti *Petri Urſeoli* corpus extra ædem Cuxanenſem, de more ſepultum, poſtea in Baſilicam ipſam illatum eſt a Leopardino, Abbate poſt ipſum quarto, a quo *venerabiliter noſcitur* TRANSMVTATVM. Iſtic deinde Leopardinus & ſocii *ſanctum altarium cum conſilio Epiſcoporum ſtruxerunt*, tradente Anonymo pag. *639.* & *640.* Hæc viri sancti *canonizatio* facta eſt ſæculo VI. ejuſque memoria fulget in antiquis Martyrologiis, a Mabillonio indicatis in libro IV. Annalium pag. *86.* num. IV.

2 Sanctæ *Liobæ* Abbatiſſæ, diſcipulæ sancti Boni-

CAP. XIV. nifacii Moguntini Archiepiſcopi & martyris, oſſium *translatio* facta eſt ab Ægile Abbate Fuldenſi *cum licentia Aiſtulfi Archiepiſcopi* [Moguntini] *juxta memoriam sancti Ignatii Martyris*, *ubi* [Virgo] *ſepulcro condita*, *miraculis vivit & gloria*, teſte Rudolfo monacho in Sæculo III. Benedictino Parte II. pag. 257. Ejus dies natalis in Martyrologiis veteribus recenſetur. Confer, ſi lubet, Chriſtophori Broweri Antiquitates Fuldenſes libro I. cap. VI. pag. 23. & libro II. cap. IV. pag. 116.

3 Sancta *Walpurga*, quæ & *Walburgis*, ſanctorum Wunebaldi, & Willibaldi ſoror, ſanctique Richardi Regis, ut ajunt, Angloſaxonum filia, ſæculum VIII. permagnis virtutibus & miraculis illuſtravit. Poſt obitum, *de loco humili*, *in quo inhumata fuerat*, ab Otgario ſive Otkario, Epiſcopo Eyſtettenſi, *ad locum excellentiorem magis ac reverentialem* ſolemni pompa, ut noſter *Urſeolus* ab Auſonenſi Epiſcopo, *translatam*, teſtatur Philippus Epiſcopus in Vita sancti Willibaldi, quam vulgavit Jacobus Gretſerus, cap. XXXI. & XXXII. pag. 110. Hæc sanctæ Walpurgæ *elevatio* ab eodem Philippo *canonizatio* & *translatio* appellatur, inque antiquis Martyrologiis deſcripta, recolitur die XXV. Februarii. *Canonizatio* quoque vocatur in Florario Sanctorum apud ſtrenuos & laborioſos talium collectores, Bollandianos, tomo III. Februarii pag. 516. §. IV. num. 26. Hanc ipſam *translationem* apud eoſdem recenſet Wolfhardus presbyter in Vita cap. III. num. 8. pag. 525. & Adelboldus Ultrajectinus Epiſcopus cap. I. num. 5. pag. 543. aliique. Viri enim præſtantes non unam, ſed ſeptem Vitas tantæ Virginis, ab ſe accurate illuſtratas, ediderunt.

4 Sancti *Othmari*, Sangallenſis Abbatis, qui virtu-

tutibus Chriſtianis ſæculum quoque VIII. nobilitaverat, poſtmodum A. D. 864. Salomon Conſtantienſis Epiſcopus diœceſanus, *perſpectis vitæ ejus exemplis & apertis miraculorum oſtenſionibus*, ſynodali celebritate *ſanctum corpus de tumulo, in quo eatenus jacebat*, AVFERENDVM, *atque in sancti Galli eccleſia collocandum pari voto & communi conſilio* cum omnibus *unanimiter* decrevit, inquit Iſo monachus ſancti Galli in *Relatione de Sublevatione* corporis ejuſdem *Othmari* apud Mabillonium in Sæculo III. Benedictino Parte II. pag. 164. & 165. qui *Othmarum* a tempore hujus translationis *publico cultu* honoratum obſervat.

5 Egregiis vitæ meritis ac ſignis claruit eodem ſæculo IX. ſanctus *Fulcuinus* Tarvennenſis, alias Tervanenſis in Gallia Epiſcopus; quem tandem ſæculo X. cœnobii Sithienſis monachi canonica illius ævi eccleſiæ diſciplina elevaverunt. *Conſulto* enim *Stephano ejuſdem temporis reverentiſſimo Tarvennenſis eccleſiæ Epiſcopo, communi omnium voluntate cum cereis & choro pſallentium, atque omnium Clericorum apparatu, idus Novembris die illuceſcente*, ELEVATIS *ſancti corporis membris, atque illic collocatis, in loco tumuli altare conſtructo; diem illam canticis & gaudiis duxere feſtivam*. Sic alter Fulcuinus Laubienſis Abbas inter Acta Sanctorum Benedictina Sæculo IV. Parte I. pag. 629.

6 Sanctus *Hildulfus*, qui & *Hidulfus*, Trevirenſis antiſtes & Mediani cœnobii conditor, obiit die XI. Julii A. D. 707. Hujus exuvias ſæculo IX. Adelbertus loci Abbas, *coacto Abbatum & vicinorum clericorum, religioſorumque Concilio, decrevit* LEVARE *de tumulo*, ut ait vetus ſcriptor in Hiſtoria monaſterii Mediani ab Humberto Belhommio

ejus

Digitized by Google

 ejus Abbate recens vulgata, pag. 85. Id *cum magno apparatu factum*, prodit Richerius Senonienſis in Sæculo III. Benedictino, Parte II. pag. 485. *Poſt hanc* vero *ſacrorum ejus artuum ex arca ſaxea* ELEVATIONEM *& in ſcrinium ligneum translationem, quo ſimplici ritu Sanctorum tunc temporis* CANONIZATIO *fieri ſolebat, certum eſt, tam ejuſdem translationis, quam & depoſitionis ſanctiſſimi viri, feſtum diem ſingulis quibuſque annis celebratum fuiſſe*. Ita Belhommius pag. 46. diſerta hac de re Martyrologiorum teſtimonia poſtmodum laudans. Vir eximius, ſcriptiſque editis maxime notus, Auguſtinus Calmetus Abbas Senonienſis in operoſa Hiſtoria Lotharingiæ, nuperrime publici juris facta, tomo I. libro X. pag. 450. paucis deſcribit pervetuſtam arcam argenteam, in qua Hidulfi ſacra lipſana ibidem cuſtodiuntur.

7 *Urſmari* Laubienſis Abbatis, a Ratherio Epiſcopo Veronenſi, inque ſinceris Martyrologiis Uſuardi, Adonis, Romanoque, ob miracula celebrati, venerandæ exuviæ eadem pompa atque illæ ſancti *Petri Urſeoli*, centum & XIV. annos ab ejuſdem *Urſmari* dormitione *elevatæ* fuerunt ineunte ſæculo IX. ſive A.D.827. teſte Fulcuino, cujus verba ex Actis Sanctorum Benedictinis Sæculo III. Parte I. pag. 257. utpote magis rei noſtræ illuſtrandæ apta, huc afferemus: *his diebus lucernam ſuam Dominus nolens diutius deliteſcere, ſed ad majorem venerationem cunctis hominibus propalare, prædicti Abbatis* [Fulradi] *cor tetigit, & ut ſancti & venerandi, & cum omni honore nominandi Urſmari corpus de ſepulcro* LEVARET, *accendit : quæ* ELEVATIO *facta eſt juſſu & permiſſu ejus* [Halitgarii] *qui tunc Cameracenſis Epiſcopus, agentibus clericis utriuſque ordinis cum fre-*

frequentia magna populari. *Expleta itaque* ELEVATIONE, *diem illam* FESTIVAM *duxere*, *nobiſque poſteris* CELEBREM *eſſe ſanxere*. CAP. XIV.

8 Præclarum quoque hujuſmodi *canonizationis* exemplum ſub A. D. 950. refert Baldericus in Chronico Cameracenſi libro I. cap. XXXV. pag. 61. & 62. Eam ipſis ejus verbis, quam meis recitare malo. Reſpicit autem ſanctum Hadulfum Epiſcopum Cameracenſem: *Hadulfus in eccleſia sancti Petri Apoſtoli, quæ intra muros caſtelli Atrebatenſis eſt*, JVXTA *monaſterium sancti Vedaſti ſepultus eſt*. *Hujus vero ſanctitas* PROCEDENTE *tempore, multis, miriſque portentis oſtenſa eſt: quorum præcipuus teſtis, æditus monaſterii sancti Vedaſti, Engrano Cameracenſi Epiſcopo viſiones, quas plerumque viderat, propalavit*. *Qui ergo teſtem idoneum animadvertens, ſanctum corpus* LEVAVIT: *in qua* ELEVATIONE *ad declaranda ſancti viri merita, mulier quædam ab immundo ſpiritu mirifice liberata eſt; unde Epiſcopus lætus, verbo facto ad populum, beati Hadulfi* SOLEMNIA *in numero Sanctorum notificavit*. Hæc Baldericus. Quæret fortaſſe aliquis, cur declaratio ſanctitatis ſervorum Dei ad antiquas & recentes maximorum Pontificum regulas tandiu dilata reperiatur? Verbis docti, piique viri Guillelmi Marloti reſponderi poterit, qui in Metropolis Remenſis Hiſtoria tomo I. libro I. cap. XXI. pag. 77. hæc habet in fine: *in iis, quæ ad cultum Sanctorum ſpectant, fides tardior eſſe debet*, ſignis nimirum, ſanctitatis teſtibus, a Deo ſubmiſſe exſpectatis & imploratis. Sic in *Urſeolo* noſtro, ſic in aliis quamplurimis factum eſt.

CAP. XV.

Variæ Sanctorum canonizationes, ab Epiſcopis per corporum *elevationem* factæ poſt Petrum Urſeolum eo prorſus ritu, quo ipſe inter Sanctos relatus eſt.

PErmultas ante *Petrum Urſeolum* vetuſto Eccleſiæ ritu poſt inquiſitionem de virtutibus & miraculis, *canonizationes* ſimiliter factas, congerere facile eſſet, quas, ne longior ſim, lubens prætereo. Has enim a me allatas, communi majorum diſciplinæ enucleandæ ſufficere arbitror, qua *Urſeolus* in Sanctorum Chriſti Confeſſorum album relatus eſt. Nunc alias poſt eum ad eandem regulam factas recenſeamus.

1 Primo loco ſe nobis offert ſanctus *Johannes* Abbas I. cœnobii ſancti *Johannis Evangeliſtæ*, & Eccleſiæ Parmenſis in Æmilia patronus, qui ſeptennio dormitionem *Urſeoli* antevertit. Hic in cœlum receptus die xx. Junii A. D. 990. de more a Sigefredo Parmenſi *pontifice & fratribus intra clauſtrum monaſterii* JVXTA *majorem Eccleſiam in locello marmoreo* [depoſitus eſt] *in quo loco ad oſtendendam ſancti viri virtutem multa Dominus beneficia inibi petentibus largiri eſt dignatus*, inquit Vitæ auctor a Mabillonio vulgatus in Sæculo v. pag. 722. num. 15. *Johannes* tamen ritu ſolemni in Sanctorum faſtos non prius relatus eſt, quam auctoritate Hugonis Epiſcopi, qui tertius a Sigefredo ſedit in cathedra Parmenſi, Henrico ſuffectus A. D. 1027. *hujus ſancti viri oſſa in nova Eccleſia, ubi nunc ejus ſepulcrum cernitur, fratres* TRANSMVTARENT, *& accenſis luminaribus cum crucibus apparatis, & thymiamatibus, omnes in altum pſallerent*. Apud me extat vetus Miſſale membraneum Eccleſiæ Parmenſis, quod poſtea fuit Eccleſiæ parochialis Marani, opidi in Foro-Julii, noſtræ diœceſis Aquilejenſis. In præfixo ei Kalendario Sanctorum, ubi etiam recenſentur illorum exuviæ, quæ Parmæ adſervan-

vantur, ſub die xxvi. Maii, poſt nomen ſancti *Eleutherii*, ſic legitur: *Sancti Johannis. Primus Abbas: cujus corpus jacet in Eccleſia ſancti Johannis in Parma*. CAP. XV.

2 Idem Sigefredus Parmenſis Epiſcopus in memorato cœnobio ſancti Johannis Evangeliſtæ uſus eſt opera ſancti Majoli Cluniacenſis Abbatis, apud Italos æque ac Gallos religione & ſanctitate clariſſimi, qui die 1. Aprilis A. D. 994. triennio ante noſtrum *Urſeolum*, in cœlum evolavit. Ejus *corpus* INTRA *eccleſiam ad locum alium ſe* TRANSFERRE *meruiſſe* A. D. 997. gloriatur Urbanus II. Pont. Max. apud Mabillonium in ſæpe laudato Sæculo v. pag. 783. num. 56. quum ſuper ejus tumulum Beggo Arvernenſis Epiſcopus altare primo erexiſſet: qui ritus erat quondam Sanctos in canonem redigendi. Majoli memoria occurrit in Martyrologio Romano, aliiſque.

3 Annus jam dictus 994. qui Majoli, inſignis etiam fuit dormitione ſancti Wolfgangi Ratiſponenſis Epiſcopi, die xxxi. Octobris defuncti. Poſtea virum juſtum, virtutibus & miraculis clarum, ſanctus Leo IX. Pont. Max. Ratiſponæ conſtitutus, *de tumulo* LEVAVIT, teſte Annalium ſcriptore Saxonico, a viris doctis ſæpe laudato, quem V. C. Johannes Georgius Eccardus nuper inſeruit ſui Corporis hiſtorici tomo 1. pag. 483. Id paſſim *canonizationis loco tunc temporis erat*, obſervante Mabillonio in eodem Sæculo v. pag. 812. num. 4. Etiam apud ſummos Pontifices. Siquidem Leo ipſe in literis ad Mutinenſem Epiſcopum, per *corporis elevationem*, altariſque in ejus honore conſecrationem, Sanctis Confeſſoribus adſcribi jubet Simeonem monachum apud Wionium in Ligno Vitæ, alibi adducto.

CAP. XV. 4 Sancto *Majolo* Abbati Cluniacenſi ſucceſſit *Odilo*, æque ac *Majolus*, apud Italos & Gallos ſanctitate celeberrimus, qui exceſſit die 1. Januarii A. D. 1049. de tumulo poſtea *relevatus* a Petro Damiano in Actis Sanctorum Benedictinis, Sæculo VI. Parte I. pag. 676. ubi Martyrologia, memoriam ejus recolentia, adducuntur.

5 In tabulis eccleſiaſticis celebris quoque eſt sanctus Arnulfus Sueſſionenſis Epiſcopus, die XV. Auguſti A. D. 1087. defunctus, perque corporis *translationem* Sanctis adnumeratus A. D. 1121. teſte Hariulfo Abbate in Vita, per Liſiardum Sueſſionenſem Epiſcopum recognita, in iiſdem Actis Sanctorum Benedictinis, Sæculo VI. Parte II. pag. 554. n. XVIII.

6 Sanctus *Lidanus* Setinorum in Latio patronus, regulam Benedictinam apud Caſinates profeſſus, cujus exuviæ in Eccleſia epiſcopali Setiæ adſervantur, advectæ ex monaſterio beatæ Cæciliæ in agro Setino, ubi ſancte obiit A. D. 1118. poſtea ritu veteri inter cœlites a Druſino Setinorum Epiſcopo per corporis *translationem* relatus eſt. In Actis poſt Bollandianos die II. Julii, iterum ab ornatiſſimo Abbate & amico noſtro Dominico Georgio ad fidem antiqui codicis in lucem datis cum Diſſertatione de Cathedra epiſcopali Setina, hæc leguntur pag. 170. REPORTATUM *fuit corpus ejus ad Setinam civitatem per Druſinum tunc Epiſcopum civitatis ejuſdem, cum clero & populo, cum maximo honore, ſolemnitate & devotione, & ſepultus ſub altare majoris eccleſiæ ſanctæ Mariæ de civitate Setina*. Hæc fuit vera *canonizatio* sancti Lidani Abbatis, de quo rurſus infra.

7 Cenſum canonizationum ante Alexandrum III. Pont. Max. ex primæva Eccleſiæ diſciplina, per Epi-

Epiſcopos ipſoſque ſummos Pontifices, eo ritu ſa- ſtarum, quo noſter *Urſeolus* inter Sanctos deſcriptus eſt, jam claudat Cuxani finibus proximus ſanctus *Odo*, qui & *Otto*, Urgellæ in Hiſpania Tarraconenſi Epiſcopus. Ejus pia dormitio poſt annos VIII. & XX. in cathedra epiſcopali tranſactos, illigatur diei VII. Julii A.D. 1122. in Marca Hiſpanica lib. IV. pag. 488. in qua non pauca de eo proferuntur. Sed præ ceteris in Appendice num. CCCLXXXIV. pag. 1276. elucet charta, e ſcriniis eccleſiæ Urgellenſis prolata, qua Petrus illius *epiſcopus & univerſus canonicorum cœtus magnam atque præclaram beatæ memoriæ pontificis Odonis celebrantes venerandam ſolemnitatem*, NATALIS *ejus* DIEM *annuatim canonizari & canonice ab omnibus inſtitui atque laudabiliter* CONFIRMARI, *una omnes collaudant, quatenus ſemper deinceps inter ceteras præcipuas anni feſtivitates hæc procul dubio digne & laudabiliter, ut domini ac* PATRONI *noſtri ſancti pontificis Ermengaudi, divinis veneranda myſteriis obſervetur*. Hæc ſanctio, quam V. C. Johannes Baptiſta Sollerius, Actis Sanctorum Bollandianis gnaviter proſequendis operoſas vigilias impendens, ex Martyrologii Hiſpanici ſcriptore Jo. Tamayo ſumtam, at mendis inquinatam, vulgavit die VII. Julii tomo II. pag. 521. falſo inſcribitur a Baluzio, *Decretum canonizationis ſancti Odonis*. Eſt enim decretum de *annuo feſto* in honorem ejuſdem ſancti Præſulis, utique ritu ſolito *elevationis* inter *Sanctos* pridem relati, *deinceps* concelebrando, quomodo memoria recolebatur *ſancti Ermengaudi*, eccleſiæ Urgellenſis *patroni* & Epiſcopi. In Appendice Marcæ Hiſpanicæ num. CCX. pag. 1054. exſtat ſumme pium Teſtamentum *Ermengaudi Urgellenſis Epiſcopi*, ſcriptum A. D. CAP. XV.

CAP. XVI. A.D. 1033. Porro hic *Odo* A. D. 1600. cum elogio ſanctitatis deſcriptus fuit in Martyrologio Romano, quod inſequenti A. D. 1601. prodiit Romæ ex typographia Vaticana in forma XVI. Perraram hanc editionem ignoravit oculatiſſimus Sollerius, Odonem ratus primo inſertum diei VII. Julii editionis tertiæ anni 1608.

XVI.
Sancti Petri Urſeoli canonizatio rurſus conſimilibus aliis adſtruitur.

Solemnem *Petri Urſeoli* albo Sanctorum ex primævo Eccleſiæ ritu adſcriptionem tot aliis exemplis ſuperiorum ætatum, undique conquiſitis, ſtipavimus, ut ejus ſanctitas, teſtimoniorum, inſigniumque argumentorum agmine comprobata, non tamen hactenus generatim fortaſſe perſpecta, imposterum ſummi Dei gloriam in probatiſſimo ejus famulo ubique diffundens, nos ad Chriſtianam pietatem colendam expergefaciat. Noſtra hæc etiam opella perveterem canonizationum diſciplinam, in Sanctorum corporum *elevatione* ſervatam, aliquatenus illuſtrabit, quam viri doctiſſimi, inque Chriſtiana eruditione magna ceteroqui cum laude verſati ad alia properantes, æquo parcius fortaſſe attigerunt. De aliis, qui a ſanctiori hiſtoria eccleſiaſtica ferme imparati, ſervorum Dei canonizationes ſpiſſis voluminibus pertractarunt, nihil loquar. Hi enim ſacram antiquitatem parum curantes, recenti ſolum praxi inhærere ſtuduerunt; licet probatis, venerandiſque majorum exemplis eam fulciri minime dedeceat. At contra, vir in Actis Sanctorum eximie peritus atque opido perſpicax, idemque a me paullo ante laudatus, Sollerius, præ ceteris rem acu tetigit, de Sancta Godeleva agens die VI. Julii tomo II. pag. 370. §. VI. num. 57. ubi *priorum ſæculorum eam fuiſſe canonizationum rationem*, ſagaciter adno-

adnotat, *ut* ELEVATO *e terra per legitimam auctoritatem ſancti corpore, auguſtiori loco reponi, & a fidelibus honorari, permitteretur. Hanc ſolemnitatem* peractam obſervat a Ratbodone Tornacenſi, in Gallia Belgica epiſcopo, *ad declarandam Godelevam cultu ſacro & religioſa veneratione dignam*. Tali, inquit, *uſus eſt ſucceſſor ejus in ſede Tornacenſi Lambertus, qui* A. D. 1121. *Aldenburgi* LEVAVIT *corpus sancti Arnulfi epiſcopi Sueſſionenſis*, A. D. 1084. *ibidem pie defuncti*, ut eſt apud Jacobum Meyerum in Annalibus Flandricis libro III. pag. 30. quod *ex actis authenticis* ab ſe fuſius declaratum iri vir clariſſimus pollicetur ad diem XV. vel XVI. Auguſti. Ejus certe ſolemnem corporis *elevationem* in Bellovacenſi Concilio decretam A. D. 1120. ſtatim factam anno inſequenti, ut dictum ſupra, menſe Majo, conſtat ex Sæculo VI. Benedictino Parte II. pag. 552. 553. & 554. Subjungit poſtea idem R. P. Sollerius, talem rurſus *canonizationem* inſtitutam in eadem Tornacenſi Eccleſia a ſucceſſore altero Gerardo Epiſcopo, dum A. D. 1159. *de humiliori loco in capſam, meritis ejus decentem, tranſtulit* corpus sancti Guthagoni tom. I. Julii pag. 670. col. 2. Hucuſque jam ſatis perſpicue, ut putamus, oſtenſum a nobis eſt, beatum *Petrum Urſeolum* uſitata, ſolemnique Eccleſiæ cæremonia *Sanctis Confeſſoribus* per canonicam & pontificalem corporis *elevationem* adnumeratum, eo modo nimirum, quo alii, & præcipue sanctus Adalhardus Corbejenſis Abbas, qui poſt ſimilem corporis *elevationem* pro Fulcone Ambianenſi, qui aberat, a Drogone Tervanenſi Epiſcopo factam, illuſtri *titulo Confeſſoris inſcribi* meruit, teſte sancto Gerardo in libro I. de ejus Miraculis cap. VI. Hæc sancti Adalhardi canonizatio acta CAP. XVI.

Digitized by Google

CAP. XVII. acta eſt A. D. 1040. videlicet annos tredecim poſt Urſeolanam hanc noſtram. Nihil ei plane conformius reperiri poterat. Aureis vero (non ferreis) Sæculis Benedictinis hæ ſacræ opes, quæ ſupra omne aurum ſunt, a nobis debentur. Vide Sæculum IV. Parte I. pag. 363.

XVII. Petrus Urſeolus pro *Sancto* ſemper agnitus apud Hiſpanos, Gallos, atque Italos.

NUnc res poſtulat, ut hoc ipſum argumentum proſequentes, nonnulla alia proferamus, quæ noſtri *Confeſſoris* cultum exinde publicum, perpetuum & concordem tam apud Hiſpanos & Gallos in provinciis Confluentis, Ruſcinonis & Ceritaniæ, quam in Italia apud Venetos noſtros, & cœnobitas Camaldulenſes, ob Romualdum parentem ſuum, aliquandiu in vita eremitica apud Cuxanenſes monachos Urſeoli *magiſtrum*, comprobare undequaque videantur. Ex quo ejus corpus *maximo apparatu divini cultus*, ut verbis utar ſæpe adducti Anonymi Ruſcinonenſis in Vita, translatum fuit *intra gremium Eccleſiæ*, ſemper ibidem adſervatum eſt *eodem cultu & reverentia, quæ adhibentur oſſibus & reliquiis Sanctorum*. Sic legimus in Commentario, publica auctoritate confecto, quem proferemus in appendice, ubi etiam docemur, *a longiſſimo tempore & poſt hominum memoriam exſtare in prædicta Eccleſia Cuxanenſi ſacellum & altare Deo dicatum ſub nomine & invocatione, cumque imagine ſancti Petri Urſeoli, ubi magna cum veneratione jacent illius reliquiæ*. Nec ſolum in eadem Eccleſia hoc fit, ſed alibi etiam. Nam in loco, *Ria* nuncupato, exſtat a longo tempore altare *cum imagine & ſub nomine atque invocatione ſancti Petri Urſeoli, quem incolæ pie colunt & venerantur*. Ita Commentarius Cuxanenſis, publica, ut dixi, auctoritate primo perfectus die

Digitized by Google

die III. Septembris A. D. 1715. ut Venetias mitteretur ad Sereniſſimum Ducem Johannem Cornelium, qui pro ſua pietate & religione erga ſummi Dei gloriam, in ſanctiſſimo deceſſore ſuo *Petro Urſeolo* amplificandam, ab optimis Cuxanenſibus monachis quæcumque de illo colligi poſſent, magna ope obtinere contenderat: qua de re idem illuſtris memoriæ Princeps una mecum, nihil tunc de his cogitante, ſermonem habuit Venetiis die XIV. Junii A. D. 1717. In eo Commentario *Urſeolus*, ut vere *Sanctus*, in ore omnium ſemper fuiſſe traditur: eum, ut Deo carum, & apud ipſum in neceſſitatibus propitium deprecatorem, paſſim a populis invocari; ad hunc, tanquam ad præſentiſſimum apud Deum patronum, fidelium vota, eidem exhibenda, perferri, atque etiam audiri, ut complura ibidem recenſita miracula & gratiæ, in multos Chriſtifideles ejus interceſſione a Deo collatæ, diſerte manifeſtant. Hæc ſumma fide in eodem *Commentario* deſcripta ſunt. Reliquiæ ſancti *Petri* ab univerſis circumſtantium regionum populis cultæ, ſub altari, Deo in ejus honorem dicato, haberi dicuntur. Oculorum morbo præſertim, aliiſque languoribus laborantes, ſpecialem auxiliatorem ſentiunt, quibus, Deo auſpice, invocatus, non ſemel adfuit. Ad lapidem etiam, ſuper quem vir ſanctus pœnitentiæ cauſſa longas vigilias egit, pie procumbitur. Cryſtallum quoque (gemma) ſeorſum pro ſacro pignore adſervatur, quod oculis admotum, Dei præſidio, mira operatur. Ad hæc, ſancti viri corpus etiamnum ſub altari quieſcit in *theca fuſtea deaurata*, ubi *lampas noctes dieſque ardet*. Ita in *ſcrinium ligneum* translatum etiam audivimus cap. XIII. num. 6. corpus ſancti Hidulfi. Hæc *theca fuſtea*, ideſt CAP. XVII.

 lignea,

CAP. XVII. *lignea*, & hoc *ſcrinium ligneum* in mentem revocant *capſam ligneam*, ubi diſcipuli ſancti Romualdi corpus *magiſtri* ſui collocaverunt, de qua Mabillonius in Annalibus libro LVII. num. XXVII. pag.388. hæc ſcripſit: *quam beata ſimplicitas! Ejuſmodi capſa mihi pro auro, immo præ auro eſt*. Sacra anathemata & plurimus fidelium concurſus, *Urſeoli* opem in neceſſitatibus invocantium, in ejus ſacello conſpiciuntur, ubi ſæpe Deo ſacra celebrantur. Ad ſiniſtram odei, in quo pſallentium chorus de more congregatur, exſtat ſurſum contra parietem vetus *mauſoleum*, ubi primum *Urſeoli* corpus depoſitum; nullumque aliud ſepulcrum ſive Abbatibus ſive monachis, ſive in clauſtro, ſive in Eccleſia præter unum iſtud *mauſoleum*, unquam erectum fuiſſe reperitur. Pignora ſanctorum Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii matrona quædam *eminenti mauſoleo* tumulavit apud Hadrianum Valeſium in Defenſione Diſceptationis de Baſilicis Parte II. cap. v. pag. 254. Sanctus Audoenus in Vita ſancti Eligii libro I. cap. XXXII. de alio meminit, quod juſſu Eligii, Dionyſio martyri fabricatum eſt. Si *mauſolei* Cuxanenſis & inſignium Urſeolæ gentis illud ornantium, delineatio ad nos miſſa fuiſset, ea libenter huic noſtræ Diſſertationi æri inciſa addi curaſsem. Utrum iſtæc inſignia cum iis conveniant, quæ Wionius protulit in Ligno Vitæ tomo II. pag. 860. & Fulgentius Manfredus in extrema pagina Vitæ Urſeoli; ſintve hominis & perſonalia, ut vulgo dicimus, an potius gentilicia, quæ tamen ſerius viſa ſunt, quam, ut ad *Urſeoli* ætatem referri poſsint, nos fugit. Quis *mauſoleum* erexerit, an monachi ipſi, vel potius optimates Venetorum, dicere non habeo. In epitaphium error vulgaris irrepſit, dum ſanctus Petrus

trus Urſeolus I. *Dalmatiæ & Croatiæ Dux* appellatur. Dies, menſis & annus emortuales ſignantur XII. *Aprilis A. D.* 987. At ſcribi debuit x. *Januarii A. D.* 997. niſi tamen dies XII. *Aprilis* non natalem, ſed translationem reſpexerit. Reliqua, epitaphii auctorem non veterem, nec rerum bene peritum, facile produnt. Poſtremo antiqua tabula in ſacrario ex pariete ad ſiniſtram pendens, ubi annua ſacra pro fidelibus defunctis celebranda recenſentur, hoc monet: *anniverſarium pro fidelibus defunctis, antea pro anima fratris Petri Urſeoli Ducis Venetiæ & Dalmatiæ*. Niſi iſto *anniverſario* Petrus Urſeolus II. noſtri filius denotatur, cui, ob memoriam patris, de ſe benemerito, Cuxanenſes annua ſacra perſolvere conſueverint, hæc *pro anima* ſanctiſſimi ejus parentis, nondum inter cœlites pontificali cœremonia numerati, olim perſolvi potuerunt. Immo etiam poſtquam Sanctorum canoni fuiſset adſcriptus; quandoquidem exploratum eſt, in iis regionibus Galliæ I. Narbonenſis, & Hiſpaniæ Tarraconenſis, olim imperio Gothorum ſubjectis, catholicum ritum Mozarabum in ſacris inoleviſse: quo ritu ſacrificium pro ſanctis Confeſſoribus æque ac pro aliis catholicis, in pace Eccleſiæ defunctis, Deo antiquitus offerebatur, ſolis martyribus exceptis, quibus unis publicus & ſolemnis cultus concedi ſolebat. Quare pro ſanctis Hilario, Athanaſio, Martino, Ambroſio, Fulgentio, Leandro, Iſidoro preces Deo offerebantur. Rem accurate explanat ſumme pius ac doctiſſimus Cardinalis Johannes Bona in Rebus liturgicis libro II. cap. XIV. num. IV. Immo hanc veterem diſciplinam paullo poſt ab *Urſeoli* canonizatione, alibi etiam in Galliis ſervatam, perſpicue nos docet pre- CAP. XVII.

CAP. XVIII. catio Willelmi Abbatis, ſancto Gregorio VII. Pont. Max. æqualis, a Mabillonio edita in Analectis tomo I. pag. 281. in qua oratur pro animabus ſancti *Auguſtini*, & ſanctæ *Monicæ* ejus matris. Quum ergo res viris doctis maxime pateat, complura ejus exempla, alibi facile occurrentia, huc advocare non attinet.

XVIII. Urſeoli ſanctitas, cultus, & canonizatio aliunde oſtenſa.

URſeoli ſanctitatem undique comprobatam latius proſequendo, fortaſſe nimius videar; ſed tamen, quando huc devenit oratio, quædam alia, publicum & generalem ejus cultum manifeſtantia, prætermittenda non ſunt. In utroque enim epiſcopatu Helenenſi & Auſonenſi ſteterunt inſignes Abbatiæ, *Rivipullenſis* & *Cuxanenſis*, ab Oliba antiſtite pro ſede Apoſtolica rectæ, in quarum ædibus ſacris ex priſco Eccleſiæ inſtituto *Urſeoli* Vitam in divinis officiis prælectam fuiſſe compertum eſt. Hujus certe editionem ad *Rivipullenſes* membranas exegit Mabillonius, & ſimiliter ex tabulis *Cuxanenſibus* deſcripta ad noſtras manus pervenit. Andreas Dandulus in Chronico libro VIII. cap. XV. in fine, ſanctam Petri dormitionem & miracula, intercedentibus ejus meritis a Deo patrata, Venetiſque ſuis optime nota, ſubſequentibus verbis poſterorum memoriæ commendavit: *interea ſupradictus Petrus Dux decimonono ſui monachatus anno apud monaſterium sancti Michaelis de Cuſano* (pro *Cuxano*) *in confeſſione catholicæ fidei die* XI. *Januarii ad cœleſtem gloriam convolavit. Cujus laudabilis vita, & obitus &* MIRACVLA, *ſuis meritis demonſtrata, etiam clarius & ſerioſius comprobantur per* ANTIQVATAM LEGENDAM, *quæ* APVD *fratres dicti monaſterii ad eorum exemplum* CONTINVO *recenſetur*;

tur ; *&* RELATIONE *multorum* COMPROVINCIALIVM *&* EXTERORVM , *qui* DEVOTIONIS *cauſa viſitare* NON *deſinunt ſepulcrum* , *in quo ejus* VENERABILE *corpus* DIGNO *honore requieſcit &* COLITVR. Dandulus eadem omnino habet ſeorſum in Annalibus atque in Chronico. Petri ergo cœleſtem *gloriam* , *& laudabilem vitam* , *obitum* , *& miracula* , ex Dandulo habemus. Acta etiam habemus, & quidem *antiqua* , & *continuo* prælecta. Habemus *comprovincialium* & *exterorum* erga eum *devotionem*. *Cultum* denique habemus erga ejus *venerabile corpus*. Propterea nihil omnino canonicæ Petri ſanctitati deeſſe videmus. Dandulus , aliique patrii ſcriptores pro *Cuxano* , paſſim leniori elemento *Cuſanum* dicere maluerunt , cujus nomenclationis eſt caſtrum diœceſis Concordienſis in noſtro Ducatu Fori-Julii ſub imperio Venetorum. Alii *Cuxanum* vel *Cuſanum* cum *Clodia* ſeu *Clugia* , inſula & civitate epiſcopali , in Venetorum æſtuariis poſita , vulgo *Chioggia* , & Venetorum dialecto *Chioza* , miſcuerunt : in quam ex parum nota apud populares voce *Cuxano* , proclivis fuit immutatio. Vernaculi enim ſcriptores noſtri hæc menda chartis ſuis allinere viſi ſunt. Quid plura ? Apud M. Antonium Sabellicum non defuit qui ipſum cœnobium ſancti Michaelis *Cuxani* cum alio ejuſdem tituli monachorum Camaldulenſium *Muriani* prope Venetias , conflaret. Sabellicum de diſcrimine inter utrumque minime laborantem vide libro II. Enneadis IX. pag. 652. tomo II. operum editionis Hervagianæ. Hunc ipſum errorem alii ſimiliter ſupine erraverunt , quibus ſi diutius immorer , næ & ego cum illis ineptiam. Quid ? quod Auguſtinus Fortunius in Parte II. libro I. cap. VIII. Hiſtoriarum

CAP. XVIII.

 rum Camaldulenſium, poſt alios non contentus in plurimis erraviſſe, *Cuxanum* in *Ghiſanum* convertit. Sed me longe a *Cuxano* abeuntem Dandulus revocat. Is ex more veterum Chriſtianorum, de quo actum in Commentario de ſancta Columba, diem *depoſitionis* ſancti Petri pro die *emortuali* commemoravit: qui dies *depoſitionis* etiam initio Vitæ præfigitur, & ab aliis quoque, de Petro agentibus, uſurpatur. Danduli, hiſtorici longe graviſſimi, verbis jam adductis quicquam aptius & luculentius generali & veterrimo hujus Confeſſoris cultui ob oculos repræſentando, afferri vix poſſe autumo.

1 Siquidem Petri ſanctitatem, *miraculis demonſtratam*, teſtatur.

2 Ait, *antiquatam*, ſive antiquo uſu receptam *Legendam*, hoc eſt ejus vitæ Acta, *continuo* a Cuxanenſibus *recenſita*. Fuit *Legenda* ita dicta, quod per Dei miniſtros in ſacris ſynaxibus legeretur, ex Cangio in Gloſſario. De ſancto Udalrico Epiſcopo Auguſtano idem pariter actum, cujus *Vitæ libellus*, in Eccleſia legi ſolitus, poſtea in conventu Lateranenſi coram Johanne XV. Pont. Max. recitatus, id confecit, ut Sanctorum Confeſſorum & pontificum canoni adſcriberetur. Conſtitutionem, qua id ſancitum eſt, primo loco reperies in Codice canonizationum, a me nudiustertius vulgato. *Vitæ* quoque *libellum* ſancti Arnulfi Sueſſionenſis Epiſcopi ante ſolemnem ejus *elevationem* oblatum in Concilio Bellovacenſi, auctor eſt Hariulfus in Sæculo VI. Benedictino Parte II. pag. 552.

3 Dandulus tradit, *comprovinciales, exteroſque*, pietatis & *devotionis cauſſa* ad Petri ſepulcrum *viſitandum* aſſidue confluere, *ubi ejus venerabile corpus digno honore requieſcit & colitur*. Pari pacto Eu-

Eugippius in Vita ſancti Severini, de *provincialibus* ad ejuſdem ſancti viri *corpuſculum* venerandum *iter agentibus*, loquitur cap. XLV. in fine: quod, ut noſtrum, atque alia ſuperius memorata, in *locello ligneo* clauſum fuerat, ac poſtea in *mauſoleo*, quod illuſtris femina præparaverat, Neapoli collocatum, ex eodem Eugippio cap. XLIV. & XLVII. Exuviis Petri Damiani Faventiæ recondendis *mauſoleum* quoque *officioſiſſime præparatum* A. D. 1072. tradit Jo. Laudenſis in ejus Vita apud Bollandum tomo III. die XXIII. Februarii pag. 426. cap. IX. num. 50.

De aliis gratiis, & ſignis, quæ pridem ob piam Chriſtifidelium in Comitatu Ruſcinonenſi ejuſdem Petri Confeſſoris invocationem, fecit omnipotens Deus, *Commentarium* ſupra laudatum, ordinaria auctoritate congeſtum, proferemus in fine; unde patebit, *Urſeoli* cultum ab A. D. 997. ad nos ipſos perpetua religione tranſmiſſum. Sed nonnulla perinde inſignia, quæ ad publicum *Urſeoli* cultum probe elucidandum pertineant, exhibeamus.

XIX. Urſeoli Vita publice olim in divinis officiis prælecta, ejus canonizationis peculiaris eſt nota.

Publicam, quam Dandulus innuit, in divinis officiis factam *Urſeoli* geſtorum lectionem in Gallia Narbonenſi, ex cujus ſacra metropoli in Cuxani cœnobium totumque epiſcopatum Helenenſem ritus ſacri manarunt, præterea confirmat ejuſdem metropolis, atque illarum partium *Galliæ Gothicæ*, Wiſigothis Hiſpanis olim ſubjectæ, eccleſiaſtica diſciplina, ad Liturgiam, quam dixi, Mozarabicam Eccleſiarum Hiſpaniæ referenda. Hujus enim peculiare illud fuit, ut *Geſta Sanctorum* in divinis officiis recitarentur: Vide Cardinalem Bonam in rebus Litur-

CAP. XIX. turgicis lib. I. cap. XII. num. V. cui addas Liturgiam Gallicanam lib. I. cap. III. num. 9. ubi diſertus illius interpres Mabillonius obſervat, Vitæ *libellum* ſancti *Æmiliani Abbatis* & *Confeſſoris* in publicis ſacris prælectum ritu illo Mozarabico & Gallicano, a ſanctorum Leandri & Iſidori Hiſpalenſium Epiſcoporum temporibus & longe antea, ſimiliter uſitato. Sanctus enim Braulio Cæſarauguſtanus antiſtes, de Vita Æmiliani, ab ſe concinnata, hoc tradit in Sæculo I. Benedictino pag. 206. Conſonat Mabillonius in Gallicanæ Liturgiæ loco proxime indicato, num. 14. ubi ex Concilii Toletani IV. canone XIV. præſide ſancto Iſidoro celebrati A. D. 633. animadvertit, Galliæ Narbonenſis Eccleſias eundem ritum in divinis laudibus perſolvendis, atque Hiſpanicas, adhibuiſſe, recitandi nimirum *Geſta Sanctorum*: quod eo magis factum *Rivipulli* in epiſcopatu Auſonenſi, qui Tarraconenſi, ac poſtea Narbonenſi metropoli paruit. Iſti Concilio una cum reliquis Patribus interfuerunt Selva *Narbonenſis* metropolita, Stephanus *Auſonenſis*, & Acutulus *Helenenſis* Epiſcopi. De hoc ritu Gothorum Hiſpaniæ, in Gallia Narbonenſi olim florente, conſulenda una atque altera inſignis præfatio illuſtrium doctrina virorum, Venerabilis Cardinalis Joſephi Mariæ Thomaſii ad Codices Sacramentorum, ac Theoderici Ruinarti ad Acta Martyrum pag. V. edit. II. Sed præterea non eſt omittendus talium explanator egregius Edmundus Martenius in Tractatu de Antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis celebrandis officiis, cap. V. num. III. & IV. pag. 31. Publica ergo prælectio Vitæ sancti *Petri Urſeoli*, in Eccleſiis Galliæ I. Narbonenſis facta, ejus canonizationis peculiaris eſt nota.

Quæ,

Digitized by Google

CAP. XX.

Mos prælegendi Acta Sanctorum in divinis officiis, ex priſco ritu eccleſiarum Galliæ Narbonenſis, Geſtiſque ipſis Petri Urſeoli explicatur.

QUæ ad receptos in Gallia I. Narbonenſi ritus de *Urſeoli* Vita in divinis officiis prælecta, ex Dandulo hucuſque enarravimus, jam ex ipſo Vitæ *libello*, ut verbo utar hiſce in rebus, quod ſupra jam dixi, de more uſurpato, clariora fieri oſtendamus. Prius tamen juverit obſervare, non in una tantum Gallia Narbonenſi; ſed alibi etiam, *Geſta Confeſſorum* in divinis officiis prælegi conſueviſſe. Hoc ſingularim pertractat Franciſcus Bernardinus Ferrarius in libro I. cap. XIX. de Ritu ſacrarum Eccleſiæ concionum: & pariter liquet ex ſancto Gregorio Turonenſi, qui ſic prælectam ait *Vitam ſancti Martini Confeſſoris*. Eum vide in libro II. cap. XXIX. & XLIX. de Miraculis maximi Epiſcopi. Vitæ quoque *libellum* ſancti Aridii Abbatis, ut *anniverſario* feſto hujus recurrente *convenientibus Chriſtianis in laudibus Chriſti*, publice *recitaretur*, ab ſe adornatum, ſcribit in exordio pag. 1283. operum novæ editionis. Quin tacente ipſo Gregorio, hoc idem aliunde fit planum. Quippe Aridii Vita & miracula in fine habent *Doxologiam*. Lectiones autem hujuſmodi, perinde ac Homilias, in ſacra Synaxi more liturgico recitari ſolitas, *Doxologia*, quæ eſt Trinitatis glorificatio, abſolvi conſueviſſe, in comperto eſt: qua de re conſulendus idem Ferrarius libro I. cap. XXXI. Hujuſce *Doxologiæ* ductu ego pridem comperi, ſancti Chromatii Aquilejenſis Epiſcopi *Commentarium* vulgo inſcriptum, in Evangelium Matthæi, duodeviginti Homiliis in unum compactis omnino conſtare. Iſtæc *Doxologia*, in quam exit Vita ſancti *Petri Urſeoli*, prorſus evincit, totam illam Urſeolanam hiſtoriam, *continuo*, ut ait Dandulus, *recenſitam*, ejuſdem-

Cap. xx. que anniverſario die recurrente olim perpetuo lectam in divinis officiis, ſacriſque conventibus Eccleſiarum Confluentis, Ruſcinonis & Ceritaniæ, ubi ejus codices adſervati. Antiquis deinde ritibus ſenſim varias ob cauſſas immutatis, Geſta *Urſeoli*, ut & alia quamplurima, recitari deſierunt, quibus tamen in choro pſallentium Dei miniſtrorum ſucceſſit lectio Martyrologii, adnotante Ferrario in ſuperius adducto libro I. cap. XIX. de Ritu ſacrarum concionum. *Doxologiam*, Geſta Urſeoli abſolventem, hoc loco ſubjungam: *ſit ergo illi honor & gloria, qui peccatores juſtificat, juſtoſque magnificat: qui æque trinus in Unitate, unuſque Deus in Trinitate vivit & gloriatur per immortalia ſæcula ſæculorum, amen.* Huc facit præclarum in rem noſtram dictum Felicis Contelorii in tractatu de Canonizatione Sanctorum cap. XXII. num. 7. *pro* SOLEMNI *& publico cultu intelligendus eſt ille cultus, qui ſit publicus ratione loci, ut puta, ſi fiat in loco publico ſeu coram aliis: vel ratione perſonæ, ut puta, ſi cultus exhibeatur a perſona, quæ ſit miniſter Eccleſiæ in loco publico vel privato; vel ſit talis cultus, qui ex ſua natura, ſive inſtitutione Eccleſiæ, ſolum Sanctis canonizatis debetur, ut eſt* RECITATIO *divini officii.* Notam canonizationis, ſanctitatis, & publici cultus *Urſeoli*, hac noſtra ſplendidiorem, deſiderari vix poſſe arbitror, quæ tot aliis conjuncta, rem ipſa luce meridiana clariorem efficit. Addatur tamen & alia, ex noſtratibus Venetis derivata, quæ Hiſpanicis & Gallicanis hucuſque allatis omnino reſpondet. Hæc eſt pervetuſta ſancti *Petri Urſeoli* imago in Baſilica ſancti Marci Evangeliſtæ civitatis Venetiarum.

Lo-

Digitized by Google



Gaspar Massi sculp.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

CAP. XXI.

Teſſellata imago ſancti Petri Urſeoli Venetiis in æde Marciana, ejuſdemque pretium & antiquitas.

Locupletius & præſtantius teſtimonium ac ſignum ſanctitatis, & publici ac veterrimi cultus sancti *Petri Urſeoli* hac teſſellata pictura, Venetiis ſub teſtudine celeberrimæ ædis Marcianæ cum aliis aliorum Sanctorum iconibus graphice expreſſa, adduci non poteſt. Primores illi Reipublicæ Venetorum, ut dixi, venerabilem Ducem ſuum cum ſanctitatis & miraculorum elogio ſtatim poſt beatam ejus dormitionem, in medio prætorio pingi voluerunt. Id quidem certe a ſummis viris optime factum eſt. At decuit etiam quammaxime, Confeſſorem inclytum & Deo carum pingi in auguſta sancti Marci Baſilica, ab eo conſtrui cœpta. Jam in pictura ipſa, hoc loco prolata, ac, me judice, Apelleis tabulis præferenda, penſiculate noſtrum *Urſeolum* contemplemur. In ſacello baptiſterii, quæ eſt ædes parochialis intra Baſilicam sancti Marci; *Urſeolus* ſtans conſpicitur contra altare sancti Johannis Baptiſtæ ſub ipſo arcu, quem hinc & inde columnæ IV. ex Græco marmore albo ſuſtinent. Proxime alius eſt arcus, quatuor Evangeliſtas muſivo perinde artificio depictos exhibens. In medio illo priore arcu *Spiritus sanctus* ſpecie *columbæ* in area cærulea candidi orbiculi, deorſum in faciem *Urſeoli*, pio, ideſt Chriſtiano, geſtu ſurſum adſpicientis, lucem vel radium immittit, ac deſuper adlabi videtur. Sacrum & publicum iſtud emblema canonicam, inque Eccleſia probatam *Urſeoli* ſanctitatem commonſtrat, cui beatus Paullus primus Eremita olim pictus ſuberat; nunc tamen in alium abſurde immutatus, ut dicam. *Columba* ipſa tota eſt *candida*, excepto roſtro, oculis & pedibus, *rubris*. Menti obverſatur ſanctiſſimus pon-

I 2 tifex

CAP. XXI. tifex Gregorius Magnus, cujus perinde capiti *Spiritum ſanctum* ſpecie *albæ columbæ* inſediſſe teſtatur in ejus Vita uterque Diaconus; Paullus nempe cap. XXVIII. & Johannes lib. IV. cap. LXIX. Adi Acta Sanctorum Martii Bollandiani tomo II. pag. 236. cap. V. num. 26. & pag. 202. cap. XIV. num. 69. Pictores tamen ex ſuo arbitrio *columbam* non ſupra caput Gregorii, ſed dextero ejus humero atque auriculæ adpingere poſtea maluerunt. Nos certe vermiculatum *Urſeoli* emblema poſt illud Gregorianum, in re noſtra plurimi facimus. Etenim *Spiritus ſanctus* neminem prorſus in celeberrimæ ædis loco maxime ſacro, niſi probatiſſimæ ſanctitatis virum, ante omnium conſpectum irradiare dicendus eſt. At qualis frontis honor, oculorum pietas, ac in Deum fides, oris innocentia, ſanctuſque genarum pudor! *Urſeoli* etiam *barba* cum toto *capite* ad cutem raſa, *coronæ* mos, ac *veſtes* monaſticæ, peritos intuentium oculos in ſe convertunt. Singula venerandam atque ipſi prototypo proximam, ac fortaſſe æqualem antiquitatem produnt. Non enim picturæ omnes, quæ in æde Marciana conſpiciuntur, una tantum ætate fuerunt expreſsæ. Aliæ antiquiores, aliæ recentiores ſunt. In priorum cenſum venit imago Ducis *Urſeoli*, primi quoque Baſilicæ conditoris. Hæc enim in conſpectu *Iſidori* martyris, ſub ſe alium Chriſti martyrem *Theodorum* habentis, quanta quanta eſt, omnium eſt antiquiſſima, atque huic uni, præterea nemini, *Spiritus ſanctus* lucem ſanctam ſeu radium deſuper in faciem immittit.

De

Digitized by Google

CAP. XXII.

Priſci ritus monaſtici in pictura ſancti Petri Urſeoli animadverſi.

De *abraſione* primo, quantum res noſtra poſtulat, paucula commentabimur. *Corona* vel *circulus* capillorum in medio capite, quod ſuperius in orbem, inferius undique ad *cutem raſum* ſpectatur, Petrum non monachis laicis, ſed *clericis* utique adſcriptum deſignat. Non enim quiſquis attonſus, ſtatim *clericus* dici meruit; ſed ii ſoli, qui præter decurtatos capillos, *raſilem* etiam *coronam* in ſummo capite expreſſam circumferebant: qua de re agentem me legere memini Hadrianum Valeſium in Defenſione Diſceptationis ſuæ de Baſilicis Parte I. cap. IX. pag. 102. Hunc ritum *coronæ raſilis* non ſolis clericis monachis, ſed & ceteris univerſis communem fuiſſe, nonnulla alia præterea monumenta declarant. In hanc rem ſæpenumero allatus canon XLI. Concilii IV. Toletani generatim jubet, *clericos detonſo ſuperius capite, inferius ſolam circuli coronam relinquere*. Hanc diſciplinam, ſæculo X. adhuc vigentem, *Urſeolus* in *citerioris Hiſpaniæ* cœnobio Ruſcinonenſi amplexus eſt, tabula teſte, auro ipſo cariore, quam damus. Mabillonius in Sæculi III. Benedictini Parte I. pag. X. num. 20. narrat, ſanctum Vulmarum, *monachum* factum, non tamen *clericum*, proptereaquod illiteratus eſſet. Poſtmodùm eruditione accedente. *clericum factum* conſtat ex ejus Actis, ibidem editis pag. 234. *Corona* ergo, quæ monachis tantum clericis & literatis cum *detonſione* & *abraſione* capillorum concedebatur, *Urſeolum* in cœnobio Cuxanenſi clericum, & literatum omnino deſignat. Monachis vero omnibus, religioſæ vitæ profeſſionem inituris, *comam detonſam*, & *barbam raſam*, ex veteribus Actis Mabillonius eduxit ibidem num. 22. qui præ-

terea

CAP. XXII. terea Sæculo v. pag.322.num.15. Leotardo Levitæ, inter monachos admiſſo, *comam capitis*, *barbam*que *raſam* fuiſſe adnotans, hunc ritum ad ſæculum uſque XII. perſeveraſſe commonuit. Ei, poſt picturas monachorum Fuldenſium, a Browero in libro II. cap. XXVI. Antiquitatum vulgatas, inque eodem Sæculo v. pag. XL. a Mabillonio recuſas, noſtra etiam Veneta calculos addit; unde vides perennem, ac nondum ullo terrarum ſpatio labefactatam diſciplinæ obſervantiam. Huic picturæ noſtræ in *utraque raſione* proxime accedit pervetuſta imago ſancti *Lidani* Setinorum Epiſcopi, apud Caſinates, ut dixi, regulam Benedictinam profeſſi. Eam codici ejus Actorum exterius affixam, & mecum olim ab Eminentiſſimo & Reverendiſſimo S. R. E. Cardinali Petro Marcellino Corradino communicatam, nuperrime ob illius præſtantiam pereruditus Georgius noſter comparere voluit in Diſſertatione ſua de Epiſcopali cathedra ejuſdem civitatis. Umbra enim eſt, non *barba*, quæ *Lidano* mentum quaſi obnubere videtur. Porro de capitis *abraſione* & *corona* monachorum, poſt Benedictum Haeftenum in Diſquiſitionibus monaſticis tomo I. libro v. tractatu IX. Diſquiſit.I. pag.528. conſulendus Martenius in libro v. de Antiquis monachorum ritibus cap. VII. num. 7. & 8. pag.726. & 727. De abraſione *barbæ* occidentalium monachorum, ſpeciatim agit Haeftenus ibidem Diſquiſit. III. pag. 532. & Martenius proxime allatus pag. 735. ubi exemplo ad hoc probandum utitur, ex Actis noſtri *Urſeoli* petito, cui teſſellata pictura Marcianæ ædis mirifice conſonat. *Urſeolus* enim de more ſuæ gentis, quum eſſet *capillatus* & *barbatus*, ad converſionem monaſticam fugiens, novacula ſibi a Guarino Abbate, converſionis aucto-

ctore atque itineris duce, *barbam*, & poſtmodum etiam *caput*, radi, & *coronam* fieri poſtulavit. Statim enim ac quis ad monaſticam vitam convertebatur, ſibi caput radi vel tonderi curaſſe, hoc ipſum poſtea ſolemnius in profeſſione ipſa facturum, obſervat poſt alios Theodericus Ruinartus in Apologia miſſionis ſancti Mauri in Gallias pag. 110. Abbatis vero benedicentis erat *coronam* ipſam conferre. *Veſtem* quoque monaſticam *Urſeolo* ſtatim impoſitam, tradit Vitæ ſcriptor. Conjunctim enim hæc omnia conferebantur. Venetos autem, uſum a ceteris latinis minime receptum, amplexos, *barbam* ex ritu Græcorum illa ætate nutriviſſe, aliunde palam facit vir diffuſæ eruditionis Carolus Cangius in notis ad Alexiadem Annæ Comnenæ pag. 283. deque *barba* & *coma* id etiam produnt in muſeo noſtro argentei denarii Ducum Venetorum, ab ævo Petri Ziani, Sebaſtiani filii, qui Alexandro III. Pontifice Venetis præfuit. Ceterum ſanctiſſimi ordinum, quos vocant, mendicantium, inſtitutores, *coronæ clericalis* formam, capitiſque ad cutem ac barbæ raſionem ex monachis accepiſſe dicendi ſunt. De utraque raſione in univerſis ſacrorum miniſtris, licet monaſticæ regulæ non æque addictis, olim ſervata, quædam alia addenſaveram, quæ poſtea delere malui. Jam ſatius erit, ſi poſt virorum illuſtrium purpureas lacinias carptim noſtro huic panno adſutas, tandem ad *Urſeoli* veſtium colorem, præ ipſa purpura, quam exuerat, æſtimandum, formamque ejus accurate explicandam, propius accedamus.

CAP. XXII.

Pi-

CAP. XXIII.

In pictura ſancti Petri Urſeoli primævum ordinis Benedictini Indumentum repræſentatur.

Pictura hæc rem, alias veterum monumentis probatam, mire confirmat; monachos nempe *tunica alba*, & *pallio* ſive *cuculla nigra* olim indutos. Hoc argumentum, quod jejune attigit Haeftenus tomo I. libro v. tract. VI. Diſquiſit. I. pag. 506. num. I. Mabillonius in Sæculo v. Benedictino pag. XL. num. 59. copioſe pertractans, *albam* monachorum *tunicam* ad talos paſſim defluxiſſe ante annos 800. oſtendit ex Rabani Mauri & aliorum iconibus, atque etiam ex Rituali Anianenſi. Cogitent illi, quorum intereſt, num *ſanctum Petrum Urſeolum* monaſtica veſte, ab hac ſincera, quam damus, diverſa, impoſterum pingere, non idem ſit ac recentia cum antiquis confundere, & ſanctum virum ex uno ordine in alium transferre. Dolendum eſt nobis, Mabillonium, in his dijudicandis magna cum laude verſatum, Venetias obeuntem A.D. 1685. & Baſilicæ Marcianæ ſacellum baptiſterii luſtrantem, ſurſum oculos in lacunar, inque muſivum noſtrum non conjeciſſe. Pulcre enim quæ eodem anno Pariſiis ediderat, inde magis illuſtrare potuiſſet. Rationem, cur *exterior tunica* monachorum, ex lana *candida* eſſet, mox addit vir ſagaciſſimus, quod ſcilicet interiore tunica ſive interula monachis interdicta, exterior cuti proxime adhærens, perſæpe lavari ad munditiam exigeret. Idem expreſſerat Haeftenus in loco proxime adducto. Noſtra icon ſanctum *Petrum Urſeolum* exhibet cum *ſcapulari*, pariter *albo*, ita dicto, quod ſcapulas tegeret præſertim & caput. Haeftenus ibidem tract. III. Diſquiſit. v. pag. 481. *lebetonem*, Urſeoli præco *lebetem* & *colobium* dictum affirmat. Tamen in noſtra pictura caret acuminato capitis operimento, quod *capitium*, alias

capu-

caputium, ſive *cucullum*, dixerunt. Sanctus enim Benedictus in Regula cap. LV. nullam *capitii* mentionem facit, de ceteris monaſticis veſtimentis ſpeciatim locutus. Immo ejus interpretes a Martenio prolati in Commentario pag. 701. Bernardus Caſinas S. R. E. Cardinalis, & Petrus Boerius Epiſcopus Urbevetanus, libri etiam Pontificalis de Vitis Romanorum Pontificum a sancto Petro ad Honorium II. olim Damaſo & Anaſtaſio ſuppoſiti, ſcholiaſtes, tunicas *capitio* caruiſſe teſtantur. Exterius pallium ſive *cucullam*, a ſcapulari diverſam, quæ monachorum eſt ſumma veſtis, undique corpus & brachia obvolvens & circumambiens, non *albam*, ſed *nigram*, ut in Urſeoli *pictura*, quondam fuiſſe, Mabillonius, qui hæc erudite proſequitur, ibidem animadvertit. Certe sanctus *Lidanus* Setinorum patronus, antea memoratus, ſcapulari & capitio *nigro*, tunica vero *alba*, indutus conſpicitur. Sed Martenius in Commentario ad Regulam cap. LV. pag. 710. jam dictam *cucullam* monaſticam olim quoque *albam*, immo antiquiores monachos veſtes totas *albas* induiſſe, ob oculos ponit. Camaldulenſis, Fulienſis & Olivetanæ Congregationum alumni, cumque his canonici regulares Præmonſtratenſes, ac myſtæ ordinis sanctæ Mariæ de Mercede redemtionis captivorum, toti *albi* ſunt. Hæc præclari Camaldulenſis monachi Guidonis Grandii ſententiam confirmant, qui in Diſſertatione III. Camaldulenſi *candidas* ſuorum veſtes e sancti Romualdi viſu derivari minime cenſuit, propterea quod ex ritu longe ante Romualdum, ſuorum Camaldulenſium parentem, recepto, deductas maxime pateat; inque eiuſdem ſuæ Diſſertationis III. capite I. num. X. in fine perantiquam

CAP. XXIII.

CAP. XXIV. tiquam ſe Romualdi tabulam pictam cum pallio *nigro* ſuper *albam tunicam* Piſis vidiſſe teſtatur. Idem porro eximius *Camaldulenſis* monachus in cœnobio ſuorum *Camaldulenſium* de ſuis rebus *Camaldulenſibus* ab ſe ſcriptas *Diſſertationes* recte *Camaldulenſes* dixit: quem alius deinde pro ſuis commentis in Apoſtolicam Sedem apte inſcribendis, lepide, & hercle ſine pudore, advocavit ad partes. Sed quoniam perlectis tantum librorum titulis mentiri placuit, cur non etiam advocavit Chriſtophorum Landinum, & Donatum Boſſium, quorum ille juxta ac Grandius, *Diſputationes Camaldulenſes*, hic *Recuperationes Feſulanas* inſcripſit? Et recte quidem inſcripſit. Prior enim apud *Camaldulenſes*, alter apud *Feſulanos*, non alibi gentium, conſtitutus, illas conſcripſit. Sed hoc obiter, nam ſeria nunc proſequi volumus.

XXIV.
Tunica alba, & procera forma ſancti Petri Urſeoli.

NOſter *Urſeolus* in cœnobio Cuxanenſi monaſticen profeſſus eſt longe antequam ejus *magiſter* in vita eremitica Romualdus, ordinem ſuum inſtituiſſet: quem ceteroqui, auctore Mabillonio in Sæculo VI. Benedictino Parte I. pag. 278. & Parte II. pag. XLVII. ante A. D. 1023. nequaquam inſtituit, ſex nimirum & XX. annos ſaltem poſt dormitionem *Urſeoli*: quam certis characteribus demonſtratam, illigavimus A. D. 997. Hic juverit obſervare, in picturis Fuldenſibus, aliiſque, a Mabillonio prolatis, inque Setina sancti Lidani, *tunicam albam* in brachiis, præſertim ad manus, ſtrictam eſſe; at in noſtra Veneta laxiorem; longam etiam & quaſi ultra pedes, ubi crepidæ nigræ partim prodeunt, ſolum pertingere; ſed ſcapulare non ita. Brevius enim eſt, quam tu-

tunica; hæc vero longior, quam cuculla: quod idem a ſuis Prædicatoribus obſervari juſſit ſanctus Dominicus. In ſumma, ex toto hoc Urſeolani oris & reliqui corporis monaſtico habitu, facile dixeris, ſanctum Dominicum ſui ordinis Prædicatorum exteriorem formam, omnino mutuatum. Monachi *Ciſtercienſes* & *Cœleſtini* veterem formam retinuerunt. Tunica enim ***alba***, ſcapulari & cucullâ ***nigra*** induti procedunt. Non tamen veterem illam capitis *abraſionem* ad cutem, nec ſub orbe *coronam*, modo retinent. At vero Cartuſiani plane omnia retinuerunt, ſi *cucullam nigram* exceperis; quam niſi ex cœnobio prodeuntes, nunquam ſuperinducunt. Noſter Urſeolus *rubrum pileolum*, priſtinæ, quam abjecerat, dignitatis inſigne, læva manu apprehenſum tenet. Mitram eſſe Trojanorum putavit Laurentius Pignorius in Originibus Patavinis cap. XII. in fine. *Cornu ducale* vulgo appellatur, inque tabula noſtra eſt *circulo aureo* ſeu corona in limbo diſtinctum, ejuſdemque faſtigio *nodus ruber*, vel fortaſſe *pyropus*, inſiſtit. Denique *procera* totius corporis ſpecies concors teſtimonium tutatur, quod Damianus, & Vitæ auctor, ſuperius allati, de magnitudine viri ſancti perhibuerunt. Etenim ipſe *procera forma* poſt mortem Cuxanenſi æditui apparuit pag. 887. num. 20. Nos ejus effigiem intra vermiculata utrinque ornamenta ita exprimendam curavimus, uti eſt Venetiis in magna æde Marciana, & qualem nobis ad juſtam menſuram accuratiſſime pictam ſubmiſit Reipublicæ Venetæ Senator ampliſſimus Petrus Garzonius, pro ſua religione erga ſanctiſſimum Ducem, de ſacris honoribus ſolemni ritu S. R. E. ei poſtliminio ſtatuendis, ſumme ſollicitus. Majores noſtri, in rerum ſacrarum

CAP. XXIV.

CAP. XXV. cenſura undequaque oculati, nihil ineptum in domo Dei, nihil non ſanctum, nihil a Chriſtiana modeſtia alienum pingi voluerunt: atque ita factum ab antiquis & graviſſimis Venetorum ephoris in ornanda auguſta illa Baſilica, in honorem ſancti Marci, Deo ſacra. Ipſi enim ſanctioris Eccleſiæ diſciplinæ tenaces, unis eam cœlitum imaginibus, quos inter præcipuus fulget ſanctus *Petrus Urſeolus*, decorari voluerunt. Utinam deeſſent qui ab inſtituto, omnium reverentia & honore digniſſimo, longe recederent. Sed dolens dico, non ita dudum inſignis Eccleſiæ parietes & fornices, contra Patrum mores, picturis non quidem cœlitum aut veteris novique Teſtamenti, ut maxime decuit, hiſtorias referentibus, ſed ex ingenio minime ſobrio confictis, ac etiam ſeminudis, tacente quidem ſacrorum antiſtite, cui tamen de ſimilibus non eſt tacendum, me alicubi demiratum.

XXV. Inſcriptio imaginis ſancti Petri Urſeoli.

Verba quæ Urſeolanæ imagini diviſim adſcripta hinc & inde conſpiciuntur, hæc ſunt: ✠ BEATVS . PETRV9 . VRSIOLO . DVXS . VENEC. Artifex poſtremam literam in voce PETRV9 ob anguſtiam loci, non bene præcogniti, contractam, & minutiorem effinxit, inſtar vulgaris numeri Arabici novenarii 9, quo prorſus modo exſtat in voce CARVL9 in muſivo Caroli Magni, olim in Titulo ſanctæ Suſannæ, apud Jacobum Sponium in Miſcellaneis eruditæ antiquitatis, ſectione VIII. pag. 284. tabula III. Litera V non uno modulo, ut vides, expreſſa eſt. De priſco ritu Chriſtiano ſignum ſanctæ crucis inſcriptionibus præponendi, actum eſt in Commentario de ſancta Columba. Quaſdam vero hujuſce inſcriptionis literas antiquio-

Digitized by Google

quiores eſſe, quam vulgo creduntur, patebit, eas conferenti cum Hildeberti Cenomanenſis carmine, æri inciſo inter hujus opera, pridem edita pag. 886. Hildebertus, qui offert ibi ſanctæ Radegundi Reginæ librum ſuum de ejus Vita, floruit præcipue ſæculo XI. *Urſeolus*, qui in Annalibus Venetorum, hactenus recenſitis, inque tota regione Ruſcinonenſi, quod poſtea conſtabit, ſemper habitus & dictus eſt *Sanctus*, in veterrima pictura Veneta, *Beati* elogio honeſtatur, nondum inter *Sanctum* & *Beatum* ullo diſcrimine intercedente. Hoc picturæ antiquitatem manifeſtat. Damianus, qui Romualdum, *Petri Urſeoli* in vita eremitica *magiſtrum*, pro *Sancto* habitum, & poſt *quinquennium a ſancti viri obitu*, in cœlitum album per corporis *elevationem* & conſtructionem altaris relatum, tradiderat, *data*, ut ait num. 105. *monachis ab Apoſtolica Sede licentia, ut ſupra venerabile corpus ejus, altare conſtruerent*; ſemper *Beati*, non *Sancti* elogium proprio ejuſdem Romualdi *nomini* antepoſuit in Vita, inque opuſculo XV. cap. XVI. & opuſc. XLIX. cap. II. Pari pacto *Urſeolus*, Romualdi alumnus, in tabula noſtra uſitatiore *Beati* vocabulo dictus eſt: quod indiſcriminatim, ut dixi, pro *Sancto* olim acceptum. Cœlites vero *Beatos* dici, ſtilus eſt mere liturgicus. Sic enim *Beatum* Hieronymum, *Beatum* Gregorium, alioſque in eccleſiaſticis precum ſacrarum codicibus religionis cauſſa dictos offendimus. Quid? Quod ſummi Pontifices ſæpenumero in Codicis Carolini etiam ſingulis paginis *Sanctum* Petrum Apoſtolorum principem, *Beatum*, non *Sanctum* dixerunt. Similiter alios cœlites, *Hilarium*, *Candidum*, *Chryſogonum*, *Silveſtrum*, *Auguſtinum*, *Proterium*. Chriſtophorus Cellarius, qui in Antibar-

Digitized by Google

CAP. XXVI. barbaro pag. 169. editionis v. inque Curis poſterioribus de Barbariſmis pag. 242. recognitionis v. cum Jo. Vorſtio, & Georgio Caſſandro improbat, *ſanctos* noſtros *divos* appellari, *beatos*, exemplo veterum Chriſtianorum, potius dici optat. Formula ergo fuit olim conſueta, propriiſque *ſanctorum* virorum nominibus de more, quaſi prænomen, aptata. Ceterum de voce *divus*, quam, ab ſe olim adhibitam, expungi voluit in *recognitione* ſuorum operum præſtantiſſimus Cardinalis Robertus Bellarminus, fuſe agit Jo. Diecmannus ad Specimen Gloſſarii Latino-Teotiſci, Rabano Mauro attributi, pag. 102.

XXVI. Quædam alia in ſancti Petri Urſeoli inſcriptione, antiquitatem picturæ indicantia.

Sed duo alia penitiorem Urſeolanæ epigraphis antiquitatem indicantia, præteriri non debent. Hæc ſunt, DVXS. VENEC. Prius illud DVXS pro DVX, veterem ſcribendi modum omnino redolet; quo literæ X ſtridula & canina litera S in latinis tabulis graphio & ſcalpro exaratis ſubjici conſuevit. Claudius Dauſquius in Orthographicis Tractatu II. Sectione I. pag. 29. quædam exempla indicavit, cujuſmodi ſunt, VIXSIT. SEXSVS. VXSOR. MAXSIMIANVS. DEDVXSIT. DIXSERINT. FAXSIT. Johannes Pierius Valerianus, qui in Caſtigationibus Virgilianæ lectionis ex literatis lapidibus alia ad librum III. Æneidos pag. 39. editionis I. recitaverat, poſtea ad librum v. pag. 68. eam ſcriptionem ex *abuſu* derivavit: quam Dauſquius *vitiatam* pariter cenſuit. At non ita cenſuit antiquitas, obſervante Henrico Noris S. R. E. Cardinali, in magnis viris habendo. Hic enim in Cenotaphiis Piſanis, Diſſertatione IV. cap. II. §. II. pag. 448. nummorum, lapidum, & Grammaticorum permulta ſimi-

ſimiliter ſcripta congeſſit. Adde Johannem Paſſeratium in libro de Literarum inter ſe cognatione ac permutatione pag. 142. in fine, & Cellarium in Orthographia editionis III. Jenenſis pag. 25. Si hæc parum ſunt, præterea non parvam copiam ſuppeditabit Joſephus Scaliger in Gruterianis Indicibus cap. XIX. ſub litera S. Latinum ergo elementum X cum S adjuncto Romani olim ſcripſerunt. Poſtea S neglectum, quum X in pronunciatione per ſe idem valeat atque CS. Hæc Cellarius. Itaque imagini ſancti *Petri Urſeoli* dextrorſum & ſiniſtrorſum adpicta epigraphe, veterem latinorum ſcribendi rationem præfert in vocabulo DVXS pro DVX, cui ſubnectitur otioſa, ut puto, literâ Græca ω ad implendum ſpacium, ſubſequenti vocabulo nimis anguſtum. Mox legitur VENEC pro VENET, nimirum VENEC*iæ*. Semipriſca enim ætate in publicis monumentis *Dux Veneciæ*, hujus ſcilicet nominis ſecundæ, provinciæ maritimæ; & *Dux Veneticorum*, non *Venetiarum*, quaſi civitatis, ita dictæ, ſcribi mos fuit; quum ab initio proprium illud *Venetiæ* nomen ſingulatim præferens civitas, nulla eſſet; primaria Ducum ſede, civilique totius Venetiæ inſularum metropoli, non *Rivoalti*, ſed *Metamauci* conſiſtente. *Venetiæ* autem plurali numero dictæ ſunt media ætate, quomodo *Dalmatiæ* in Vita ſancti Petri Urſeoli, atque alibi *Rhetiæ*, *Græciæ*, *Siciliæ*, *Tuſciæ*. Quæ enim poſtea *Venetiarum* civitas dicta eſt, primitus *Rivoaltus* dicebatur: quo nomine tota civitas, cum terminis circumquaque adjacentibus comprehenſa. Rem ex patriis Annalibus perſpicuam facit Nicolaus Craſſus in notis, non de trivio corraſis, ad Donati Jannotii & Caſparis Contareni Cardinalis de Republica Venetorum CAP. XXVI.

CAP. XXVI. rum libellos, pag. 342. unde huc paucula ex compluribus tranſtuliſſe non pœnitebit : *multæ*, inquit, *ſunt veteres ſanctiones, multa privilegia, quæ leguntur edita & data in Rivoalto; ſeroque admodum hoc ipſum Venetiarum nomen, tam longe, lateque potens olim, quam ſtagna omnia & littora, in Rivialti unius terminos conceſſit*. Veterrima inſcriptio apud Sanſovinum libro XIII. fol. 360. 2. *Beati*, Venetiæ Ducis, imagini olim adpicta, id ſumme tuetur:

Fratris ob invidiam Rex Pipinus in RIVOALTVM
Venit, defendi patriam, ſibi gratificatus.

Hujus *Beati* frater fuit *Obelerius*, qui *Pipinum*, Italiæ Regem, in ſuos Veneticos concitavit. *Pipinum* tamen Albiolam, Venetiæ provinciæ inſulam e regione Metamauci, non prætergreſſum, *Beatus* repulit, *ſibi*, ideſt patriæ ſuæ (ſtilo ejus ævi) *gratificatus*. Quare in Vita *Urſeoli* optime ſcriptum, *in* RIVOALTO. Itaque *Rivoaltus* tota inſula & *civitas*, non, uti nunc, pars tantum interior civitatis, habita. Adi Sanſovinum ex fide veterum differentem libro VIII. pag. 252. Hinc ſine alio rationum apparatu, qui tamen, ſi res poſtularet, facile præſto eſſet, palam fit, *Venetiæ* juxta ac *Venetiarum* nomenclatione, quæ apud Damianum, & Vitæ *sancti Petri Urſeoli* ſcriptorem, indiſcriminatim occurrit, non *civitatem*, ſed *maritimam* regionem ſignificari, cujus utrinque extremi limites erant Gradus & Caputaggeris. His accedit, eos fuiſſe inſigniores Ducatus, qui plures ſub ſe civitates, vel *capita* provinciarum ac totas provincias comprehenderent: quod a nobis ipſis alibi meminimus indicatum. Hujuſmodi certe fuit Ducatus *Venetiæ*,

pro-

Digitized by Google

provinciæ maritimæ. Nam Johannes VIII. *Urſo Duci Venetiæ* ſcribens Epiſtolam LV. *marinæ Venetiæ* antiſtites nominat plurali numero: de quibus etiam in ſubſequentibus literis mentionem facit. Ergo Dux & Epiſcopi ſecundæ *Venetiæ*, *provinciæ maritimæ*, non *Venetiæ civitatis*, intelligendi: cujus *Venetiæ* provinciæ metropolita, Gradenſis *Patriarcha*, non raro *Venetus* dictus eſt; utique non civitatis, ſed ejuſdem *Venetiæ* provinciæ *maritimæ*, cujus, atque Hiſtriæ, univerſos Epiſcopatus ei aliquando ſubjecit Leo IX. Epiſt. 1I. Hæc eo pertinent, ut *ſanctus Petrus Urſeolus*, Dux VENEC*iæ provinciæ maritimæ*, ſeu *marinæ*, in epigraphe illa omnino intelligi debeat. CAP. XXVII.

XXVII. Ducalis titulus ſancti Petri Urſeoli explicatus.

VENEC*iæ*, ut in Confeſſoris pictura, per literam C pariter ſcriptum & lectum in uno atque altero argenteo denario Ludovici Pii & Lotharii Auguſtorum. Utrunque non ſine jactantia in Epiſtola, Diario Pariſienſi literatorum inſerta, vulgavit Græca & Latina ſcientia nummaria bene peritus, ſed in Francica ſua ob rerum Italicarum ignorationem, omnino hoſpes, regius Cimeliarcha Petrus Rainſſantius A. D. 1684. tomo XII. pag. 206. editionis 1I. Amſtelodamenſis, crepans famoſum illud *ſcrutinium Venetæ libertatis*, quod peperit Marcus Velſerus; quaſi nimirum ex iiſdem nummis oſtenderetur Cæſarum Carolinorum imperium in civitatem *Venetiarum*. Alium, Italico nomini haud valde benevolum, qui Hiſtoriam Gallicam pro vulgo ſcribens, dudum hanc crambem recoxit, non moror, quippe alibi refutatum. Jam ipſas denariorum epigraphes ſubjiciamus. *Priorem* Ludovici Pii, poſt Paullum Petavium in *Gnoriſmate*, quod

 An-

Digitized by Google

CAP. XXVII. *Antiquariæ ſupellectilis portiunculam* nominavit, Olaus Wormius in Danicis Monumentis libro v. cap. vii. pag. 440. inque Muſeo Danico libro iv. cap. vi. pag. 361. & Baluzius in Capitularibus tomo II. pag. 1272. antea protulerant, inque gyro anticæ partis hæc verba exhibentur:

✠ HLVDOVVICVS . IMP . *Crux media* .

Totam poſticam grandiores, non ambientes ullam imaginem literæ occupant, atque S redundat in fine:

✠ VEN
SCIAS

In *alterius* nummi Lothariani antica proſtant hæc verba:

✠ HLOTHARIVS . IMP . AV . *Crux media*.

Poſtica vero tota unico hoc verbo occupatur:

✠ VENECIA

Blancus utrunque repoſuit in Tractatu de Nummis Francorum pag. 102. num. 33. & pag. 108. num. 8. At boni, iſtæc VENECIA, ſeu VENECIAS, non *civitas*, nec provincia quidem *maritima* fuit, ſed regio terreſtris, Carolidarum imperio ſubjecta poſt Deſiderium ultimum Regem Langobardorum, præfecto ei conſtituto ſancto *Everardo*, ob Giſlam conjugem, Ludovici & Judithæ Auguſtæ genero, Lothariique ſororio, quantum ad patrem attinet, & *Marchione* ac *Duce Fori-Julii*: quam *Civitatem*, nunc vulgo dictam, per ea tempora terreſtris *Veneciæ caput* fuiſſe teſtatur Paullus Diaconus in libro II. de Geſtis Langobardorum cap. xiv. in fine.

Digitized by Google

fine. De *Everardo*, qui majores noſtros optatiſſimo imperio rexit, paucula dixi in Commentario de ſancta Columba. Porro in denariis Carolinis non una civitatum, ſed & provinciarum nomina occurrunt, veluti AQVITANIA & EQ*uitania* in Pippini apud Blancum pag. 105. VENECIA in Ludovici & Lotharii. EQ*uitania* pro *Aquitania* ſcriptum eſt, de quo ſupra monui cap. III. At *Venetiæ* alterius maritimæ civile *caput* ac ſummum rerum faſtigium non *Rivoalti*, ſed *Metamauci* tunc erat, quo poſt dirutam *Heracleam*, in Hiſtoria Veneta percelebrem civitatem, *ſecundæ* hujus *Venetiæ* provinciæ Duces confugerant; unde tandem cum ſuis *Rivoaltum* ſero tranſgreſſi, ei quoque nomen totius ſui dominatus ſenſim & tractu temporis indiderunt, quod *Veneti* illi primævi, ex continenti in maritimæ regionis proximas inſulas ob irruentium barbarorum immanitatem, ſaluti publicæ conſulturi, antea confugientes, eidem indiderant. Paullus Diaconus libro II. cap. XIV. utranque *Venetiam* commemorans, maritimam ait, *in paucis inſulis, quas nunc Venetias dicimus, conſtare*. Paucas ergo ſimul inſulas, non *unam*, tunc *Venetias* dicebant. Itaque exploratiſſimum eſt, Carolinos denarios ad unam VENECIAM primam & terreſtrem illam provinciam referendos, non ad ullam Italicam, & eo minus Aremoricam, ejus nominis *civitatem*: quod poſterius Rainſſantius ceteroqui ultro fatetur. Interim ex eorumdem nummorum & inſcriptionis ad tabulam *ſancti Petri Urſeoli* convenientia in vocabulo VENEC*iæ* per literam C, Urſeolanæ picturæ vetuſtas pariter demonſtratur: quam hoc etiam commendat, quod ea cum ſanctiſſimis viris, *Paullo* primo Eremita, *Iſidoro* ac *Theodoro*

CAP. XXVIII. martyribus , dextera & ſuperior conſiſtat apud Sanſovinum in Deſcriptione Civitatis Venetiarum libro I. cap. CXV. unde arguas non ferendam hominis illius inſcitiam & levitatem, qui longe poſt Sanſovinum, imaginem ſancti *Paulli Eremitæ* inſtaurans vel labefactans, hunc injuſſu optimatum in quempiam Capuccinum, ſuis ignotum, *Beatum Antonium a Brixia*, Italica, ideſt recentiſſima, epigraphe, indicatum (ſed ſpongia delendum) ſuopte ingenio in tam conſpicuo loco transfigurare auſus eſt, ſcribens etiam *Breſſa* populari Venetorum dialecto pro communi vocabulo *Breſcia*. Sanſovini proba narratio impoſturæ, ſubinde confictæ, larvam detrahit.

XXVIII. Baſilica Marciana a sancto Petro Urſeolo conſtrui cœpta, quando ad finem perducta.

HÆc, ni fallor, picturæ noſtræ antiquitatem ſatis pandunt; unde canonicus & *vindicatus*, ut phraſi utar veterum Patrum, ac ſupra omnem memoriam exactus *Urſeoli* cultus uberrime evincitur. Ædes, ubi imago ſpectatur, quæ ab eodem ſanctiſſimo Principe conſtrui cœpit A. D. 977. *quatuor* & *nonaginta* poſt annos perfecta eſt. Andreas Dandulus apud Sanſovinum libro I. cap. VIII. Baſilicam abſolutam tradit per Ducem Dominicum Contarenum anno, quo exceſſit, 1071. ad quem ab A. D. 977. *quatuor* & *nonaginta* anni effluxerunt. Dedicata vero fuit A. D. 1088. die VIII. Octobris, annos nimirum *decem* & *ſeptem* poſt completam exædificationem: cujus epocham anni 1071. nobis ſervavit rude carmen marmoreo zophoro infixum ſupra fores Eccleſiæ apud Sanſovinum libro I. cap. VIII.

Anno milleno tranſacto, biſque trigeno
Deſuper undecimo fuit facta primo.

Qua-

Quare initio ducto ab A. D. 977. ſenſum recte percipias ſubſequentium verborum Bernardi Juſtiniani, folio regeſti inferius ſignato litera P. Numeri enim paginarum, ut alias paſſim in iſtiuſmodi antiquis editionibus, deſunt. *Annis centum aut circiter* [IV. nimirum & XC.] *perfectum opus eſt* [A. D. 1071.] *&* [poſt annos XVII.] *nova Eccleſia dedicata anno Domini* MLXXXVIII, *octavo idus Octobris*; hoc eſt Vitale Faletro Duce. Ita Juſtinianus, vir graviſſimus & ſancti Laurentii fratris filius, in Hiſtoria translationis corporis ſancti Marci Evangeliſtæ, quæ cum reliquis & totis ejus operibus cura viri docti Benedicti Brognoli prodiit Venetiis apud Bernardinum Benalium A. D. 1492. in forma folii; quanvis raro tota in ſingulis exemplaribus reperiantur, inde nimirum poſtea nonnullis conſulto ſublatis. Johannes Stringa, qui Juſtiniani Hiſtoriam translationis in linguam Italicam vertit, deque ſuo auxit, narrat libro II. cap. X. Contareni ſucceſſorem Dominicum Silvium Eccleſiam Marcianam marmorum quidem & *muſivi* operis varietate ornandam curaſſe, ut Sanſovinus auctor eſt libro XIII. fol. 370. 2. Sed errat Stringa dedicationem conjiciens in A. D. 1094. quæ, teſte Juſtiniano, facta fuerat ſexennio citius, ſive, ut dixi, A. D. 1088. *unum* propterea ſupra *nonaginta annos poſt Urſeolum* noſtrum ex hac vita in cœlos translatum. Hæc nobis de ejus Chriſtianis virtutibus, miraculis & canonizatione dicenda occurrerunt. Jam ſequitur, ut celebriores ejus præcones junctim recenſeamus, qui variis temporibus receptam per manus a majoribus perennem atque unanimem famam illius ſanctitatis, traditamque literarum monumentis, ad poſteros tranſmiſerunt.

CAP. XXVIII.

Pri-

CAP. XXIX.

Canonizatio ſancti Petri Urſeoli memorata in Annalibus Venetorum.

PRimo loco res poſtulat, ut Petri Urſeoli *canonizationem*, in domeſticis & perantiquis Venetorum Annalibus commemoratam attingam.

1 Arnoldus Wionius in Martyrologio Benedictino ſeu Ligno Vitæ, Venetiis edito apud Georgium Angelerium A. D. 1595. tomo II. pag. 16. ſub die XI. Januarii, poſt *Urſeoli* depoſitionem cum elogio ſanctitatis expoſitam, fragmentum hiſtoricum Ducum Venetorum laudat, in quo legitur, eum ſancte in monachatu vixiſſe annos undeviginti, ac mox ſequitur: *e fu* CANONIZADO *per ſancto*. Hujuſmodi hiſtoriæ, præteritis ſæculis antiqua populari dialecto exaratæ, Venetiis plurimæ habentur: & quo ſimpliciori ſtilo conſcriptæ ſunt, eo candidior & ſine fuco in iis veritas explicatur. Idem Wionius pag. 18. in alio *immenſo volumine rerum Venetarum*, quod a Jo. Zeno Patricio Veneto ſibi commodatum acceperat, ſic de Petro legi teſtatur: *nella monaſtica vita nel moneſtiero de San Michiel de Cuſan vivette anni* XIX. *& menò sì ſanta & oneſta vita, che per li ſoi meriti molti & molti miracoli Dio per lui ſe degnò moſtrare; & fino al dì de ancoi per* SANCTO *publicamente in quelle contrade el vien venerado. La feſta ſua è de Zener*. Ad hæc Wionius pag. 535. Urſeolum SANCTORVM *albo adſcriptum* rurſus affirmat.

2 Fulgentius Manfredus ordinis Minorum, qui *Vitam ſancti Petri Urſeoli*, quatuor foliis conſtantem, ab ſe Italice ſcriptam in lucem dedit Venetiis per Jo. Baptiſtam Bonfadinum A. D. 1606. in forma quarta, duo alia Chronica adduxit pag. 18. in quibus traditur, Petrum Urſeolum in *Sanctorum* albo fuiſſe deſcriptum. Verba prioris Chronici hæc ſunt:

Digitized by Google

ſunt: *fu* CANONIZADO, *& faſſe feſta in quelle contrade ogni anno*. In altero hæc habentur: *poi morſe, & fu* CANONIZADO *per Sancto*. CAP. XXIX.

3 Veronæ in Bibliotheca Triviſana, cujus alibi mentionem feci, perinde exſtant quædam Chronica MSS. Venetorum, noſtri *Urſeoli* canonizationem commemorantia. Primum a Philippo de Dominicis concinnatum, perductumque ad A. D. 1400. de viro ſancto hæc prodit: *lo qual vivando, & morando, elo ſervì a Dio in tanto ben far, che per li ſoi meriti, & miracoli ſe demoſtra; & per* SANCTO *publicamente fo venerado*. Aliud Chronicon ad A.D. 1439. extenſum hæc profert: *lo qual Piero Orſiolo fo ſempre omo de ſancta vita sì in nel Dogado, come dapoi chel ſe feſe religioſo, per sì facto modo, chel noſtro Signor per li ſoi meriti moſtrò de lui molti miracoli sì in vita, come dapoi de la ſua morte; onde el fo* CANONIZADO *per* SANCTO, *& in quella parte ogni anno ſe fa la ſo feſta ſolennemente*. Conſonat ſubſequentibus verbis aliud Chronicon ibidem ſervatum, quod clauditur A. D. 1465. *fu publicamente* CANONIZADO *per* SANCTO, *& ozidì in quelli paeſi ſe celebra la ſo feſta ſolennemente*.

4 Hiſtoria Veneta, quæ Savinam, Decemvirum a ſecretis, auctorem præfert, hactenus recitatis omnino reſpondet, ubi ait: *volſe la maeſtà del Signor Dio moſtrar per lui infiniti miracoli, & perciò da ognuno fu tenuto coſtantemente per* SANTO, *onde fu poi* CANONIZATO, *& con grandiſſima divozione è celebrata ſolennemente la ſua feſta*.

5 Denique ampliſſimus Senator Garzonius geminum ejuſdem notæ Chronicon apud ſe exſtare mihi ſignificavit, ubi *Urſeolus* in provincia *Equitania* (pro *Aquitania*) monachus factus, & CANONIZATUS fuiſſe narratur. Tot

Digitized by Google

CAP. XXX.

Alii, qui in ſcriptis ſuis de Petri Urſeoli ſanctitate & miraculis meminerunt.

Tot teſtibus Venetis una cum veterrimis Galliæ Narbonenſis probationibus & monumentis, *Petri Urſeoli* canonizationem patefacientibus, elenchum chronicum auctorum præterea ſubjungam, qui ab A. D. 1008. ad noſtra tempora de probatiſſimo viro, ut *ſanctitate, & miraculis* claro, in ſcriptis ſuis meminerunt:

A. D.

1008. 1 Anonymus in Chronico Venetorum; ad annum 1008. perducto.

1048. 2 Anonymus Rivipullenſis in Vita sancti Petri Urſeoli.

1050. 3 Beatus Petrus Damianus in Vita sancti Romualdi.

1340. 4 Andreas Dandulus in Chronico & Annalibus Venetorum.

1372. 5 Petrus de Natalibus Epiſcopus Equilinus in Catalogo Sanctorum. Hos in Diſſertatione non ſemel tantum, ſed pleroſque ſæpe etiam laudavimus.

1428. 6 Laurentius Monachus, magnus Regni Cretæ Cancellarius, in codice MS. de Rebus Geſtis Venetorum pluribus Petri ſanctitatem commendat, Dandulum tamen & Damianum exſcribens.

1440. 7 Andreas Donatus, Æneæ Silvii, poſtea Pii II. ſummi Pontificis, neceſſarius, in Vitis MSS. Ducum Venetorum hæc literis conſignavit: *Petrus Urſeolus eligitur Dux A. D. 976. qui palatium ducale & eccleſiam sancti Marci privata pecunia inſtauravit. Hoſpitale non procul a palatio fundavit, pecuniaſque in pauperum alimenta erogavit. Hic nutu divino, ſuaſuque Guarini Gallici, monachus effectus apud monaſterium sancti Michaelis de Cuſano, ibi mortuus*

tuus & ſepultus, SANCTUS *habitus eſt*, *miraculis*
clarens. Hæc verba ex Donati codice proferuntur in Diſſertatione de initio principatus & monachatus A. D.
tus sancti Petri Urſeoli, mihi inſcripta, in Diario Literatorum Italiæ tomo IX. pag. 386.

8 Bernardus Juſtinianus in Hiſtoria translationis corporis sancti Marci, de noſtro Urſeolo, quem *Urſojolum* vocat, ita ſcribit: *ſanctiſſime exacta vita, multis miraculis claruiſſe ferunt*; *rarum apud ſæculares Principes exemplum*. 1450.

9 M. Antonius Sabellicus in Enneadum & Decadum libris Petri ſanctimoniam extollit. Siquidem Enneade IX. libro II. pag. 652. eum ait Ducem creatum *invitum & reſiſtentem*, *religionis cauſſa ſponte principatu abiiſſe*, *& ſanctitate clarum* quieviſſe. Subinde accuratius de illo agens in Decade I. libro IV. Hiſtoriæ Venetæ pag. 1129. operum tomo II. editionis II. Hervagianæ, eum, ut *religione & ſanctitate*, *multiſque miraculis illuſtratum*, commendat. 1480.

10 Petrus Marcellus in Vitis Principum Venetorum cap. XXIII. Urſeoli elogium pertexens, *miraculis clarum* appellat. 1500.

11 Raphael Volaterranus libro IV. Geographiæ fol. 40. editionis Frobenianæ anni 1544. *miraculis* quoque Urſeolum *fulſiſſe* confirmat. 1510.

12 Johannes Jacobus Caroldus, Decemvirum Venetorum a ſecretis, in patria Hiſtoria MS. de Petro noſtro hæc ſcribit: *fino al preſente nella Francia viene il ſuo ſepolcro viſitato con molta venerazione*. 1520.

13 Publius Franciſcus Modeſtus Ariminenſis in libro XI. poematis Venetiados, Arimini editæ per Sebaſt. Modeſtum A. D. 1521. in folio, ante literam B. inferius notatam, de Urſeolo ita canit: 1521.

Digitized by Google

CAP. XXX. *Dux vero, in ſuperos animum converſus, habenas*
Abjicit Adriacas, furtimque excedit ab Urbe,
A. D. *Et longinqua, Deûm viſurus templa, pererrat.*

De filio poſtea cognomine hæc habet:

At laudata ſatis quiſnam tua facta putarit,
Urſeole, Adriaci decus & pater optime ſceptri?
Nam pietate tuus non te cognominis anteit,
Abjiciens patriæ titulos, divûm actus amore.

1530. 14 Johannes Baptiſta Egnatius in Exemplis virorum illuſtrium libro IV. cap. I. Petrum noſtrum *miraculis clarum* appellat. Subinde capite IV. idem repetens, *celeberrimam* ejus *nominis famam* in Gallia Narbonenſi haberi teſtatur. Idem Egnatius (ex Sanſovino in fine libri I.) præfuit pio diverſorio, quod Urſeolus ad aream ſancti Marci proprio ære conſtruxerat, quodque inſtauratum, hactenus conſiſtit in *Campo-roſulo*: quo nomine locus vulgo nuncupatur.

1548. 15 Gabriel Simeonius in Commentario de origine Venetorum lib. II. pag. 39. Urſeolum *multis miraculis in vita & poſt mortem* clarum fuiſſe prædicat.

1557. 16 Antonius Stella in Elogiis Venetorum, pag. 35. *ſanctitate & religione clarum* dicit, addens, *celebre Petri Urſeoli nomen in ea terrarum tractu* (Galliæ Narbonenſis) *hodie vigere*.

1560. 17 Petrus Juſtinianus in patria Hiſtoria libro I. pag. 15. editionis II. Venetiis factæ apud Ludovicum Avantium A. D. 1575. Urſeolum ita *religioſe & pie vixiſſe* ait, *ut poſt obitum multis claruerit miraculis*. Notandum hoc loco, *Sabellicum*, *Marcellum*, *Egnatium*, *Stellam*, *Juſtinianum*, alioſque de Petro loquentes, in nonnullis labi, præſer-

Digitized by Google

ſertim ubi ejus virtute Barium a Saracenorum ob- CAP. XXX.
ſidione liberatum, homonymia decepti, commini-
ſcuntur. Non enim *Petrus Urſeolus* I. ſed *Petrus* A. D.
Urſeolus II. id præſtitit A. D. 1002. quinquennio
poſt ſanctam noſtri Confeſſoris dormitionem, teſte
Lupo Protoſpata apud Camillum Peregrinium in
Hiſtoria Principum Langobardorum tomo II. pro-
pe finem pag. 81. & Anonymo Barenſi ibidem
pag. 187. Antonius Pagius A. D. 1002. num. XIII.
ratus hujus egregii facinoris nec Juſtinianum, ne-
que alios Hiſtoricos Venetos meminiſſe, a vero
aberravit. Meminerunt quidem illi diſerte; ſed
Urſeolo ſeniori, non juniori id perperam tribuerunt.

18 Julius Faroldus in Annalibus Venetorum, 1576.
ad A. D. 1487. pertingentibus, pag. 70. Urſeolum
SANCTE *vixiſſe & obiiſſe* refert. Pagina vero 77.
Petrum Urſeolum II. *Dalmaticum*, honoris cauſſa
Petri Urſeoli SANCTI *filium* nominat.

19 Franciſcus Sanſovinus, ſæpe a nobis addu- 1586.
ctus, in Deſcriptione civitatis Venetiarum libro I.
cap. V. Urſeolum *vivum* & *mortuum pluribus mira-
culis* claruiſſe teſtatur. Cum aliis tamen alucinatus,
utrumque Johannem, *Gradonicum* & *Maurocenum*
Urſeoli ſocios in monachatu, *generos* ejus reputa-
vit, quum unus is fuerit *Maurocenus*.

20 Prætereo alios non magnæ notæ ſcriptores, 1600.
eadem phraſi locutos, cujuſmodi ſunt Petrus Re-
cordatus in Hiſtoria monaſtica fol. 184. 2. Silveſter
Maurolycus in Hiſtoria religionum lib. II. pag. 97.
Hieronymus Bardus in Chronologiæ Parte III. pag.
253. edit. I. in folio, Auguſtinus Fortunius, Hiſto-
riarum Camaldulenſium Parte II. libro I. cap. VIII.
Thomas de Minis in Catalogo Sanctorum & Bea-
torum Camaldulenſium pag. 9. Silvanus Razius in

CAP. XXX. Vitis quoque Sanctorum & Beatorum ejuſdem Ordinis cap. v. pag. 5. & Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui a Martyrologio Romano abſunt, pag. 22. Hi enim omnes, licet noſtri ſanctitatem collaudent, de illo tamen agentes, in non paucos errores tum chronologicos, tum hiſtoricos inciderunt, quos in Diſſertatione emendavimus. Sed ob viri nomen præteriri non debet Cæſar Cardinalis Baronius, qui in Annalibus Eccleſiaſticis A. D. 977. num. v. Urſeolum Ducali faſtigio ſua ſe ſponte abdicatum, & *ſecreto cum paucis, ſui conſilii conſciis, in Gallias profectum, illic uſque ad obitum* MAGNO NOMINE SANCTITATIS *vitam tranſegiſſe*, literis conſignavit.

A. D.

1610. 21 Antonius Iepeſius in tomo v. Chronici Hiſpanici ordinis ſancti Benedicti, Centuria vi. cap. 1. pag. 273. col. 1. & Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino die xi. Januarii, quo ejus *depoſitionem* poſt alios recolit, *Beatum* dicunt. At Benedictus Dorganius in Kalendario Benedictino *Sanctum* nuncupare maluit. Verum is penitus fugit Ægidium Ranbeckium in fuſiori Kalendario Benedictino, Auguſtæ excuſo A. D. 1677. Sed non fugit
1630. Andream Sauſſajum in Martyrologio Gallicano, nec Gabrielem Bucelinum in Menologio Benedicti-
1650. no eadem die, ubi *Sanctum* pariter nuncupantes, longum illi uterque encomium pertexit. Similiter Johannes Tamayus in Martyrologio Hiſpanico tomo 1. pag. 126. de Petro agens, eum *ſanctiſſimi confeſſoris* præconio donavit.

22 Poſtremo addamus Antonium de Heredia;
1680. qui in Vitis Sanctorum & Beatorum ordinis ſancti Benedicti, Hiſpanice Matriti vulgatis A. D. 1683. tomo 1. pag. 309. Urſeolum *ſanctitatis* elogio hone-

Digitized by Google

neſtavit. Scio equidem, hos omnes ad unicum teſtem, ad primum videlicet, referendos. Sed hoc eſt, quod perpetuam de *Urſeoli* ſanctitate a primo illo per tot teſtium ora deductam traditionem, ſemper hucuſque ſibi conſtantem, confirmat. CAP. XXX.

Hæc, quæ de sancto *Petro Urſeolo* dicenda occurrerunt, ſufficere arbitror demonſtrandæ ejus *ſanctitati*, a ſeptingentis & amplius annis in Eccleſia certis ſignis & argumentis probatæ atque recognitæ. Quare piis & præſtantibus doctrina viris, qui pro exacta, fidelique ſua diligentia in enarrandis geſtis Sanctorum, hoc ſibi demonſtrari optaverunt, jam ſatisfactum putamus. Bollandus enim obiter de *Petro* ſcribens tomo I. Januarii pag. 1087. hæc habet: *an ſit ab Eccleſia in cœlitum tabulas relatus, nos latet*. Subinde in notis ad caput II. Vitæ sancti Romualdi to. II. Februarii pag. 107. num. 9. idem his verbis repetit: *an ſit ab Eccleſia in Divorum tabulas relatus, necdum comperimus*. Socii tamen ejus poſtmodum A. D. 1675. id ſe comperiſſe teſtati ſunt in notis ad diem XXV. Aprilis tomo III. pag. 997. col. 2. num. I. ita locuti: *in ejus locum* [Petri Candiani IV.] *ſubſtitutus Petrus Urſeolus, cujus poſtea* SANCTI *Vitam dabimus in ſupplemento Januarii ad diem* XI. Rurſus inter Ephemerides primi ſemeſtris magni operis, tomo VII. Junii immixtas, ſe *Petri Urſeoli, ut* SANCTI, Acta *in ſupplemento* edituros pollicentur. Mabillonius autem iſta ignorabat quo tempore in Sæculo V. pag. 878. num. 5. de Sancto viro hæc in literas miſit: *fere omnes ſcriptores Italici miraculis illuſtrem prædicant*. Immo *ad unum omnes*. Mox *Sanctum* etiam ab aliquibus dici animadvertit. Non tamen dicitur a Iepeſio & Menardo, ut ei viſum eſt. Hi enim cum aliis per-

CAP. XXX. perpaucis, *Beatum* dixerunt. At longe plures & vetuſtiores ſunt qui *Sanctum*, quam qui *Beatum* dicunt. Mabillonius illorum ignarus, his perpaucis ſe ſubſcribere, ait, *dum melior de recepto ejus in Eccleſia cultu notitia habeatur*. Quam vir eruditus habere *notitiam* optavit, eam nos multo ampliſſimam (ut putamus) & uberrimam dedimus, ob cujus & aliorum, quæ in Diſſertatione ſtabiliuntur, ignorationem, præcellentes Hagiologi, quia homines fuerunt, in ſpiſſos errores prolapſi ſunt. Interim quod ſibi oſtendi flagitaverunt, *Urſeolum* ſcilicet *Sanctis Confeſſoribus* ex primæva & ſolemni Eccleſiæ diſciplina adnumeratum, modo a nobis oſtenſum eſt. Jam Commentarium recentiorem, publica auctoritate confectum de perpetuo ejus apud Cuxanenſes cultu, ſubjiciamus.

FINIS

DISSERTATIONIS

DE

Digitized by Google

DE

SANCTITATE . CVLTV . ET . MIRACVLIS

SANCTI·PETRI·VRSEOLI

CONFESSORIS

CVIVS . CORPVS . REQVIESCIT . CVXANI

NVLLIVS . DIOECESIS

In monaſterio ſancti Michaelis Archangeli
Comitatus Ruſcinonenſis in Catalonia,
alias in Gallia I. Narbonenſi

COMMENTARIVS

*Publica auctoritate confectus Prattæ in Epiſcopatu
Helenenſi, vulgo Perpinianenſi, a die* III. *Aprilis
ad diem* XXV. *Septembris A. D.* MDCCXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARIUS

DE . SANCTITATE . CULTU . ET . MIRACULIS

SANCTI · PETRI · URSEOLI

CAPUT . I

Univerſis, & ſingulis ſeriem præſentium inſpecturis

ATTESTOR, indnbiamque perhibeo fidem ego Honuphrius Bordes, auctoritate regia notarius publicus villæ Prattæ, Confluentis, Elnenſis diœceſis, necnon pro multum illuſtri, multumque Reverendo domino, domno *Abbate, & Capitulo devoti monaſterii ſancti Michaelis de Cuixano ordinis divi Benedicti, nullius diœceſis, ſed ad ſanctam Romanam Eccleſiam tam in capite, quam in membris immediate ſubjecti*, ſcriba ſeu regens ſcribaniam Curiæ eccleſiaſticæ prædictæ Abbatiæ & monaſterii;

1 Quod ſub Kalendariis infraſcriptis ad inſtantiam Procuratoris Fiſcalis jamdictæ Curiæ, coram Illuſtri & admodum Reverendo domino, Fratre domno Bonaventura de Rocabruna & de Vilallonga, olim Religioſo profeſſo, Priore Beatæ Mariæ Virginis de Riquer, ac etiam Priore clauſtrali, Vicario generali, & officiali prælibatæ Abbatiæ & monaſterii, exiſtente ſcriba magnifico Joſepho Gelcen & Forner Burgenſe Perpiniani, auctoritateque regia notario publico jamdictæ villæ Prattæ, anteceſſoreque meo in dicto officio,

2 Fuit recepta quædam informatio *de Miraculis Sancti Petri Urſeoli*, olim cœnobitæ dicti monaſterii, ſecundum regium edictum Gallico ſermone confecta, & poſtea (ſubſtantia facti minime mutata) latine traducta per admodum Reverendum dominum Fratrem, domnum Joannem Saldoni, religioſum profeſſum & Infirma-

Digitized by Google

rium, Secretariumque dicti Capituli, & monaſterii, qui pio labore & inveſtigatione hoc fecit opuſculum, & confecit: & per ipſos dominos de Rocabruna & Saldoni tunc miſſa fuit Sereniſſimo Duci Venetiarum cum quadam epiſtola, quæ dictam informationem præcedit: quarum quidem tenor exiſtit in his, quæ leguntur verbis:

3 Acta capitularia de & ſuper cauſa pia *Sancti Petri Vrſeoli*, Venetiarum Ducis, mox in hoc monaſterio Cuixanenſi cœnobitæ, virtutibus, miraculiſque præclari, qui huc venit anno ſalutis 976.[a] requievit autem in Domino poſt annos XI[b], nempe 987.[c]

a lege 978.
b l. XIX.
c l. 997.

Epiſtola hujus Monaſterii ad Sereniſſimum Ducem Venetiarum [Johannem Cornelium.]

Serenisssime Venetorvm Dvx.

4 Ex literis viri Illuſtriſſimi Domini Joannis Baptiſtæ Deſcatllar & de Ford, Abbatis monaſterii de Banyoles & Reverendiſſimi Patris Generalis Societatis Jeſu, nobis compertum eſt de pio illo zelo, ſemper laudabili, & nunquam ſatis laudato, qui in veſtra elucet Serenitate, præſertim in exquirendis vita, factis, ac etiam prodigiis, a *Sancto Petro Vrſeolo* perpetratis, iſtius veſtræ Reipublicæ olim Duce meritiſſimo, & mox hujuſce noſtri monaſterii cœnobita, per omnia religioſiſſimo: quo nihil gratius potuit nobis unquam accidere, nec jucundius.

5 Nos, ut votis Serenitatis veſtræ, & deſiderio in nobis pio ſatisfiat, opuſculum hoc, in fragminibus expreſſum, quæ in Eccleſiæ noſtro tabulario, ex temporum *edacitate*, *& bellorum inclementia* vix ſuperſunt, ad veſtram cum debito honore dirigimus Serenitatem, eandem enixe deprecantes, ut rem tam piam, tamque laudabiliter incœptam [promovere] pergat.

6 Quoad vero deditionem inſignis Reliquiæ *beati Petri Vrſeoli*, quæ nobis in præfatis literis indicatur, dummodo a ſacra Rituum Congregatione de prædicto San-

Sancto Officium recitandi facultas fuerit obtenta, certiorem reddimus Serenitatem veſtram, prædictam Reliquiam libentiſſime tum dedituros.

7 Nos interim pro ſalute, & Serenitatis veſtræ incolumitate, ac pro totius Republicæ conſervatione ſuppliplices ad Deum Optimum Maximum preces fundimus.

Serenitatis veſtræ

Servi addictiſſimi, Capitulum monaſterii ſancti Michaelis Vallis Cuixanenſis, & pro eodem Capitulo Frater Bonaventura Rocabruna Prior clauſtralis, Officialis & Vicarius. [Cuixani die III. Septembris A. D. 1715.]

CAPVT. II

Inſtantia Procuratoris Fiſcalis ad Dominum de Rocabruna & Vilallonga, Priorem clauſtralem & Vicarium generalem Abbatiæ ſeu monaſterii ſancti Michaelis de Cuixa.

1 SUpplicat humiliter Fiſcalis jurisdictionis ſpiritualis Abbatiæ ſancti Michaelis de Cuixa, dicens: cum in publica ſit notitia non ſolum in monaſterio ſancti Michaelis de Cuixa, & illius vicinia, ſed etiam in Comitatibus *Confluentis*, *Roſſilionis*, *& Ceritaniæ*, *Sanctum Petrum Vrſeolum*, monachum fuiſſe prædicti monaſterii, in quo e vita in pœnitentiis & auſteritatibus acta in odorem ſanctitatis deceſſit, quamplurimis in vita & poſt mortem perpetratis miraculis, ut teſtes producendi affirmaturi ſunt, tum experientia, tum ex publica traditione, a ſenioribus accepta: & hæc eſt publica fama in ore omnium poſita;

2 Dicens, ab hinc multis ſæculis, & ex quo *Sanctus Petrus Vrſeolus* e vita deceſſit, illius *oſſa* & *reliquias* aſſervari in Eccleſia prædicti monaſterii cum eodem *cultu & reverentia*, quæ *adhibentur oſſibus & reliquiis cujuſdam Sancti*, itaut a *longiſſimo tempore*, & *poſt hominum memoriam* extet in prædicta Eccleſia ſacellum & altare, ſub nomine & invocatione *Sancti Petri Vrſeoli* conſtru-

cta, ubi cum *magna veneratione* jacent illius reliquiæ.

3 Dicens, in loco de *Ria*, Vicariæ Confluentis in quodam altari ejuſdem Eccleſiæ exſtare a longo tempore *imaginem* ſub nomine & invocatione dicti *Sancti Petri Vrſeoli*, quam illius incolæ pie colunt & venerantur.

4 Dicens, quamplurimos, qui prædicti *Sancti Petri Vrſeoli* opem invocarunt, miram a Deo in infirmitatibus ſuis, aliiſque ærumnis, ejuſdem *Sancti* interceſſionem divinitus expertos; & de miraculis inibi perpetratis a multis propalam certiores factos fuiſſe: quæ miracula teſtes interrogandi atteſtabuntur.

5 Dicens præterea, quod propter vitam, quam præfatus *Sanctus Petrus Vrſeolus* ſancte & cum pœnitentia degerat, & propter *crebra miracula*, quæ in vita & poſt mortem operatus fuerat, ut omnes ubique ferunt, & a majoribus ſuis audierunt, & ſicut nunc propalam tenetur, ut *Sanctus*, & *nomine* & *titulo Sancti Petri Vrſeoli* ſemper fuit inſignitus in *omni regione Comitatuum Roſſilionis*, *Confluentis*, & *Ceritaniæ*, ac in omnibus terræ partibus, in quibus *Sanctus* iſte dignoſcitur; ac in ore omnium publica fama, a multis retro ſæculis, & poſt hominum memoriam, hoc (*Sancti*) nomine appellatur, ut affirmaturi ſunt teſtes, qui hæc *quotidie* audiunt, & a majoribus ſuis, qui a ſuis ſenioribus eadem audierant, acceperunt; nec quidquam in contrarium ad illorum venit cognitionem.

6 Supplicat tandem, ut ſuper factis in hac ſupplicatione contentis, & in aliis teſtibus inducendis, de *ſanctitate* prædicti *Sancti Petri Vrſeoli*, Reverentiæ veſtræ Iubeat mandare, ut illorum fiat coram vobis informatio, ut tanti *Sancti* memoria immortalitati glorioſæ conſecretur in ipſius honorem & exaltationem; & probe & ſapienter erit factum. *Vilar*, & *Pujol*.

7 Viſa hac præſenti ſupplicatione, mandamus, ut informationes ſuper factis, in ea contentis fiant coram nobis, juxta petita. Datum in noſtro monaſterio ſancti Michaelis de Cuixa, die xxv. menſis Septembris anno 1714.

De Rocabruna Prior officialis & Vicarius generalis.

CA-

CAPVT. III

Nos Frater Bonaventura de Rocabruna, & de Vilallonga presbyter Prior Beatæ Mariæ de Riquer, Prior clauſtralis monaſterii ſancti Michaelis Vallis Cuixanenſis Ordinis divi Benedicti nullius diœceſis, ſed ad ſanctam Sedem tam in capite, quam in membris immediate ſubjecti; & pro admodum Illuſtri Capitulo ejuſdem monaſterii (ſede Abbatiali vacante) in ſpiritualibus & temporalibus Officialis & Vicarius generalis.

1 ATtendentes ad piam inſtantiam, nobis factam ex parte Procuratoris fiſcalis Curiæ Eccleſiaſticæ Abbatiæ ejuſdem monaſterii ſuper factis, contentis, & in ſupplicatione expreſſis, die vigeſimaquinta currentis menſis Septembris per dictum Procuratorem fiſcalem nobis præſentata: cui informationi in exequutionem proviſionis, a nobis factæ ad calcem dictæ ſupplicationis [inhærentes] proceſſimus modo & forma ſequentibus.

2 Die XXVIII. Septembris 1714. in Urbe Pratta ſtetit coram nobis Fratre Bonaventura de Rocabruna Vicario generali ſupradicto, Maria Roca filia legitima & naturalis quondam Franciſci Roca calceolarii urbis Inſulæ Roſſilionis, & Mariæ conjugis adhuc in vivis. Hæc vigeſimum circa quintum, ut ipſa affirmat, annum agens, teſtis producta per dictum Procuratorem fiſcalem, & per nos ex officio noſtro recepta, virtute juramenti, Domino Jeſu Chriſto & ſuper quatuor ſancta Evangelia præſtiti in poſſe & manibus noſtris, ſpopondit, ſe nonniſi vera prolaturam.

Interrogata ſuper contentis in dicta ſupplicatione, ipſi Mariæ teſti perlecta;

3 Dixit: cum ab hinc circiter tribus annis graviter oculorum morbo, argemate ſcilicet, ſeu albugine in utroque oculo laboraret; cumque formidaret, ne viſum penitus amitteret, *Sanctum* ſe *Petrum Urſeolum* invocaſſe, ſpo-

ſpopondiſſeque, ſe, ipſum *Sanctum* viſitaturam ad monaſterium ſancti Michaelis Cuixanenſis, in quo ejuſdem *Sancti* quieſcunt Reliquiæ: quod ipſa teſtis opere complevit in eodem monaſterio: quæ quum ante ipſius *Sancti* imaginem, Reliquiaſque devota oraſſet in ſacello in eodem monaſterio, ipſi *Sancto* dedicato, *Sanctum Petrum Urſeolum* ex toto corde invocans; deinde ſupplex petiit a quodam ex monachis ejuſdem monaſterii, ut ſuis oculis *cryſtallum* [a] admoveretur, quod *cryſtallum* ipſa teſtis affirmat, ſe audiviſſe, eſſe alteram ex Reliquiis dicti *Sancti*: quod quidem extemplo a prædicto monacho illius oculis aliquantum temporis admotum, dum ipſa *Sanctum Petrum Urſeolum* ex tota anima deprecaretur, ſperans fore, ut per ipſius interceſſionem ab oculorum morbo libera remaneret & ſana: quod quidem re effectum eſt; itaut ex tunc albugo, & argema evanuerint, & viſus corporalis in ipſa fuerit perfecte reſtitutus, ac ſi nunquam oculorum morbo laboraſſet. De quibus ipſa maximas Deo & dicto *Sancto Petro Urſeolo* grates retulit. Hoc, & nihil aliud ipſa teſtis ſcit, nec ſuper contentis in ſupradicta ſupplicatione valet aliud atteſtari.

[a] De alio *cryſtallo*, prodigia operante apud monachos cœnobii Oſſiacenſis in Carinthia, vide Acta Sanctorum Bollandiana tomo v. die xxix. Junii pag. 505. num. 31.

4 Lecta illi hac depoſitione, affirmavit, hanc verum continere & in hac perſiſtit affirmatione, & interpellata ad ſubſcribendum, declaravit, ſe ſcribere ignaram.

Subſcripti in originali: de Rocabruna & Vilallonga, Joſephus Gelcen & Forner Notarius.

CAPUT. IV

Die xxii. *Julii* 1715. *in dicta urbe Pratta*.

1 Stetit coram nobis ſupradicto Officiali & Vicario generali Baptiſta Fuguet agricola de Evol in Confluenti, annum agens, juxta ipſum, circa quadrageſimum, teſtis productus, per dictum Procuratorem fiſcalem, & per nos ex noſtro officio receptus, virtute juramenti, Jeſu Chriſto Domino noſtro & ſuper ſancta quatuor Evangelia in poſſe & manibus noſtris præſtiti, veritatem ſe dicturum ſpopondit.

In-

Interrogatus ſuper contentis in ſupplicatione ſupradicta, teſti ipſi perlecta, affirmavit:

2 Cum ab hinc circiter quindecim diebus ad arandum abiret in fines ejuſdem loci de Evol, ſe graviſſimum in dextero oculo ſenſiſſe repentine dolorem; itaut eodem oculo captus pene remaneret; cum antea oculorum morbo nunquam laboraſſet; immo ipſis oculis clare & perfecte uſus hucuſque ſemper fuerat. Tunc eundem variis fricans vicibus, ut, ſi poſſet, albuginem inde extrahere, ſperans fore, ut hac extracta, viſum in eodem oculo reciperet amiſſum: quod contra evenit, itaut ab aratro ceſſaverit, licèt invitus. Tum in ſuam domum ad dictum vicum de Evol coactus venit, ac Reverendo Michaeli Ver presbytero & ejuſdem loci de Evol Vicario enarrat caſum: qui Vicarius ipſum teſtem hortatus eſt, ut toto affectu *Sanctum* invocaret *Petrum Vrſeolum* in monaſterio ſancti Michaelis de Cuixa, eundemque devoto viſitaret animo, quia, quum multi ipſum invocantes, viſum a Deo impetraſſent, eandem gratiam ipſi impertiretur: quod re evenit. Ipſe enim teſtis die decima quinta currentis menſis Julii dictum monaſterium adiit; *Sanctum* prædictum devote viſitavit; ad *imaginem* in *ſacello*, ipſi *Sancto* in eodem monaſterio, dedicato, enixe oravit, ac tunc monachum quendam ejuſdem cœnobii deprecatus eſt, qui *cryſtallum*, quod altera ex Reliquiis eſt dicti *Sancti Petri Vrſeoli*, ad ſuum vellet oculum admovere: quod prædictus monachus lubentiſſime geſſit. Eo ad oculum admoto, ſtatim minuitur dolor & levatur, & priſtinam oculorum ſerenitatem conſequutus eſt, ut nunc etiam cernere licet. De quibus ipſe maximas Deo & dicto *Sancto Petro Vrſeolo* grates retulit, & quotidie refert. Hoc & nihil aliud ſcit ipſe teſtis, nec ſuper contentis in ſupradicta ſupplicatione valet aliud atteſtari.

3 Lecta ipſi teſti hac ejus teſtificatione, affirmavit, hanc verum continere: qua in affirmatione perſeverat, & in-

& interpellatus ad ſubſcribendum, declaravit, ſe ſcribere ignarum.

Subſcripti in originali: de Rocabruna & Vilallonga. Joſephus Gelcen & Forner Notarius.

CAPVT. V

Die XXVI. *Julii anni* 1715. *in prædicto urbe Pratta*.

1 APud nos ſupradictum Officialem & Vicarium generalem ſtetit Maria Boher vidua Joſephi Boher textoris vici de Siracho in Confluenti, pluſquam ſexagenaria, teſtis producta per dictum Procuratorem fiſcalem, & per nos ex noſtro officio admiſſa: quæ virtute juramenti, Jeſu Chriſto Domino noſtro & ſuper ſancta quatuor Evangelia in manibus noſtris præſtiti, ſe veritatem prolaturam ſpopondit.

Interrogata ſuper contentis in ſupplicatione ſupradicta, ipſi teſti perlecta, affirmavit:

2 Quum ab hinc triginta circiter annis graviſſimum dolorem ventris per quinque annorum ſpatium pateretur, quamplurimis medicamentis, medicorum cura & chirurgorum per id tempus inutiliter adhibitis, itaut ne minimum quidem levamen ſentiret, quinimo dolor ipſe ventris ipſam ſemper opprimeret; tunc ſe alvi dolore, & tot medicorum remediis fatigatam, cœlica tandem remedia imploraſſe. Quapropter ex toto animi affectu auxilium *Sancti Petri Urſeoli* invocavit, promittens, ipſum *Sanctum* ad monaſterium ſancti Michaelis de Cuixa ſe devote viſitaturam, in cujus Eccleſia ſacellum, & altare *Sancto Petro Urſeolo* cum ipſius imagine exſtant dedicata, & in hoc ipſo altari miſſam pro ſe celebrari curaturam. Quibus ab ipſa teſte debite perſolutis, prædictum monaſterium nudis pedibus, eundem *Sanctum* oratura, interdum adibat. Poſt hæc lapidem, qui monaſterium, campumque, *Longadera* vulgo appellatum, ad

Digitized by Google

ad radicem montis, ſeu nemoris, quod extra idem monaſterium intereſt, pia viſitavit, ſuper quem *lapidem* in ventrem prona, bis jacuit ipſa teſtis, dictum *Sanctum* aſſiduo deprecans, ut ſua ipſa interceſſione incolumitatem, enixe petitam vellet impetrare. Aliquantulum poſt temporis, omnibus ſpretis medicinæ remediis, levatus dolor, & deinceps illo penitus liberata eſt; itaut nunquam exinde hunc ventris dolorem ſenſerit: de quibus ipſa maximas Deo & dicto *Sancto Petro Vrſeolo* grates retulit, & quotidie refert. Hoc & nihil aliud ſcit ipſa teſtis, nec ſuper contentis in ſupradicta ſupplicatione valet aliud atteſtari.

3 Lecta ipſi teſti hac depoſitione, affirmavit, hanc verum continere, qua in affirmatione perſeverat. Et interpellata ad ſubſcribendum, declaravit ſe ſcribere ignaram.

Subſcripti in originali. De Rocabruna & Vilallonga; Joſephus Gelcen & Forner notarius.

CAPVT. VI

Dicta die XXVI. *Julii anni* 1715. *in eadem urbe Pratta.*

1 Coram nobis Officiali & Vicario generali prædicto ſtetit Clara Dento, uxor Pauli Dento majoris vici de Sirach in Confluenti, ætatis ſuæ anno quinquageſimo tertio, teſtis producta per dictum Procuratorem fiſcalem, & per nos ex noſtro officio admiſſa,

2 Interrogata ſuper contentis in prædicta ſpecificatione, ipſi teſti perlectis, affirmavit, ab hinc circiter decem & octo annis filiam ſuam ex eodem matrimonio procreatam, ſecundo ætatis anno ubera adhuc ſugentem, alvi dolore ſuper ſeptem menſium ſpatium fuiſſe oppreſſam, ut noctes dieſque lacrymans, vociferanſque ageret, & multis variiſque humanis adhibitis remediis, nihilo fieret ſanior. Tunc ipſi teſti perſuaſum eſt, ut *Sanctum* invocaret *Petrum Vrſeolum*, ſponderetque ad monaſterium ſancti Michaelis de Cuixa ſuam deferre

filiam, in quo ſacellum & altare cum *Sancti Petri* imagine, eidem *Sancto* exſtant dedicata; necnon & ad quendam *lapidem* [a] extra monaſterium, qui ager vulgo dicitur *Longadera*, nemuſque ejuſdem intereſt monaſterii, filiam geſtaret ſuam; ſuper quem *lapidem* prædictum *Sanctum* vigilias egiſſe audierat: & huic lapidi prædictam natam ventris dolore oppreſſam in ventrem pronam induceret: quæ omnia ſupradicta teſtis ex toto animi affectu ſe exequutioni promiſit mandaturam: quæque, dum licuit, opere complevit. Nam cum natam ſuam prædicto *lapidi* in ventrem pronam tantum devota & ſupplex collocaſſet, ſtatim ventris ceſſavit dolor, & exinde eo dolore ad ſuum uſque obitum libera ſemper extitit: de quibus ipſa teſtis maximas Deo, & dicto *Sancto Petro Urſeolo* grates reddidit: & ex quo hanc ipſa ſuæ natæ gratiam impetravit, affirmat, ſe ex omnium ore audiviſſe, quamplurimos, qui prædictum *Sanctum Petrum Urſeolum* devote invocant, ipſius *Sancti* interceſſione ab ſuis ægritudinibus convaluiſſe.

[a] Hunc *lapidem* memorat Vita Urſeoli inter ſchedas MSS. Conſtantini Cajetani.

3 Lecta ipſi teſti hac ejus teſtificatione, affirmavit, hanc verum continere: qua in affirmatione perſeverat; & interpellata ad ſubſcribendum, declaravit, ſe ſcribere ignaram.

Subſcripti in originali. De Rocabruna & Vilallonga: Joſephus Gelcen & Forner notarius.

CAPUT. VII

Die VI. *Auguſti* 1715. *in prædicta urbe Pratta*.

1 Apud nos prædictum Vicarium generalem ſtetit Petrus Pares, ruſticus loci de *Ria* in Confluenti, ætatis ſuæ, ut ipſe affirmavit, annum circa ſeptuageſimum agens, teſtis productus per dictum Procuratorem fiſcalem, & per nos ex officio noſtro acceptus, qui, virtute juramenti, Jeſu Chriſto Domino noſtro, & ſuper ſancta quatuor Evangelia in poſſe & manibus noſtris præſtiti, ſe veritatem dicturum ſpopondit.

2 In-

2 Interrogatus ſuper contentis in ſupradicta ſupplicatione, ipſi teſti perlectis, dixit, ſe meminiſſe, & ſuæ ineſſe memoriæ, quum parochiani ejuſdem loci de *Ria* altare ad honorem sancti Sebaſtiani in Eccleſia ejuſdem Parochiæ conſtrui curaſſent, Reverendum Felicem Beringer presbyterum, & ejuſdem tunc temporis Eccleſiæ Rectorem, *imaginem Sancti Petri Urſeoli* in eodem altari ſuis ſumptibus collocaſſe: in quo altari hæc eadem exſtat imago, quam parœciani ejuſdem loci pie colunt & venerantur. Affirmavit etiam idem teſtis, prædictum Rectorem proprio ſuo motu & ultima caviſſe voluntate, ut corpus ſuum ante prædicti *Sancti* imaginem humaretur, ubi nunc uſque jacet ſepultum. Hoc, & nihil aliud ſcit ipſe teſtis, nec ſuper contentis in ſupradicta ſupplicatione valet aliud atteſtari.

3 Lecta ipſi teſti hac ejus teſtificatione, affirmavit, hanc verum continere: qua in affirmatione perſeverat; & interpellatus ad ſubſcribendum, ſe ſcribere ignarum declaravit.

Subſcripti in originali. De Rocabruna & Vilallonga. Joſephus Gelcen & Forner notarius.

CAPUT. VIII

Die, & anno ſupradictis in eadem urbe Pratta.

1 Coram nobis prædicto Officiali & Vicario generali ſtetit Joſephus Angles agricultor, oriundus ex vico de Sirach, nunc autem incola loci de *Ria* in Confluenti, annum circa octogeſimum, ut ipſe teſtatus eſt, agens; teſtis productus per dictum Procuratorem fiſcalem, & per nos ex noſtro officio auditus, qui, virtute juramenti, Deo & Domino noſtro in poſſe & manibus noſtris præſtiti, ſe veritatem atteſtari promiſit;

2 Quæſitus ſuper contentis in ſupradicta ſupplicatione, teſti ipſi perlecta, affirmavit, dum Reverendus Felix Beringer presbyter & Rector Eccleſiæ parœcialis sancti Vincentii loci de *Ria*, in vivis eſſet, ſe palam audiviſſe &

in publico, incolas ejuſdem loci, altari in dicta Eccleſia ſancto Sebaſtiano dedicato conſtruendo operam dediſſe, & a prædicto Rectore ſe ſe accepiſſe, ipſum Rectorem *imaginem Sancti Petri Vrſeoli* in eodem altari ſtatuiſſe, in quo nunc uſque pie, reverenter & devote ab eodem populo colitur & aſſervatur.

3 Præterea aſſeverat idem teſtis, ſe ab eodem Rectore Beringer audiviſſe; cum idem Rector aliquando Bullarum expeditionem pro dicta Rectoria in ſui favorem a Romana Curia exſpectaret, ſuaſque ad aures perveniſset, ventorum inclementia nimium mare concitatum, ipſe, timens, ne Bullarum ſuarum expeditiones furentium ventorum violentia pereuntes, maris fluctus amitteret, cum *Sanctum Petrum Vrſeolum* hac in anguſtia invocaſset, paucis poſt diebus has Bullarum expeditiones portum felicem aſsequutas: quod ipſe Rector interceſſione prædicti *Sancti Petri Vrſeoli* factum autumabat, præſertim cum ad ſe perveniſset, quamplurimos alios expeditionum Bullarum ſuarum, plurimarumque pactionis tabularum & commentariorum hac in abſtruſiſſima ac urgenti procella jacturam feciſse; affirmabatque idem Rector, ſe quandiu foret in vivis, prædictum *Sanctum* toto animi affectu culturum: ante cujus imaginem, ut ſuum corpus humaretur, ſuo mandavit teſtamento, ubi nunc jacet.

4 Item atteſtatur idem Joſephus Angles, ſe palam & in publico quamplurima miracula, ab ipſo *Sancto* perpetrata, audiviſse, præcipue pro oculorum ſerenitate, ceteriſque morbis, quæ, ipſum invocantes, experiuntur, voventes, ipſum ad monaſterium ſancti Michaelis de Cuixano viſitare, ubi prædicti *Sancti Petri Vrſeoli* reliquiæ quieſcunt in altari in eadem Eccleſia ejuſdem monaſterii eidem *Sancto* dedicato: quique *lapidi* devote procumbunt, qui ſitus eſt inter campum, vulgo la *Longadera* appellatum, & nemus ejuſdem monaſterii, ſuper quem *lapidem* prædictum *Sanctum* vigilias egiſse, ſe ex auditione ſæpe ſæpius audiviſse pro certo affirmat. Hoc & nihil aliud ſcit ipſe teſtis, nec ſuper conten-

ten-

Digitized by Google

tentis in ſupradicta ſupplicatione valet aliud atteſtari.

5 Lecta ipſi teſti hac teſtificatione, affirmavit, hanc verum continere: qua in affirmatione perſeverat, & hæc ſubſcripſit.

Subſcripti in originali, Joſephus Angles. De Roca-bruna & Vilallonga. Joſephus Gelcen & Forner notarius.

CAPVT. IX

Eadem die VI. *Auguſti*, *anno* 1715. *in urbe Pratta*.

1 REverendus Hieronymus Guſi pluſquam ſexagenarius, presbyter oriundus & nunc Vicarius loci de *Ria* in Confluenti, ſtetit coram nobis ſupradicto Vicario generali teſtis productus per Procuratorem fiſcalem, & per nos ex officio noſtro admiſſus, qui virtute juramenti, Domino Deo noſtro, & ſuper ſancta quatuor Evangelia in poſſe & manibus noſtris more clericorum præſtiti, veritatem ſe dicturum ſpopondit.

2 Quæſitus ſuper contentis in prædicta ſupplicatione ſibi perlecta, affirmavit, ſuæ ineſſe memoriæ, & probe meminiſse, ſe ex auditione publica accepiſse, tempore, quo Reverendus Felix Beringer curam gerebat parœcialis Eccleſiæ ſancti Vincentii loci *de Ria*, illius parœcorum Commune, altare in eadem Eccleſia ſancto Sebaſtiano dedicandum, curaviſse ſtruendum; ſeſeque ab ipſo Rectore aliquoties audiviſse, ipſum, *imaginem Sancti Petri Vrſeoli*, cujus clientem & devotum ſe præſtabat, in dicto altari ſuis locaſse ſumtibus; ſibique pro certo eſse, ſuarum Bullarum expeditionem pro eadem Rectoria, nonniſi pia *Sancti Petri* interceſſione naufragium evaſiſse; cum in eadem navi ventorum & maris fluctuum procella navis atrociter agitata, aliarum Bullarum expeditiones, ceteraſque pactionis tabulas, & commentaria periiſse, ipſi compertum eſset.

3 Hæc autem *imago Sancti Petri Vrſeoli* extat noſtris etiam temporibus in eodem altari, quam parœcii ejuſdem loci pie colunt & venerantur. Et ipſe Rector palam, me

me teſte, dicebat, ſe *Sancto Petro Urſeolo* ſemper, dum viveret, fore devotum, ante cujus imaginem corpus ſuum humari voluit, ubi ad noſtra uſque tempora jacet ſepultum.

4 Aſſeverat præterea ipſe teſtis, ſe ex publico ſemper audiviſſe, variis infirmitatibus, & præſertim oculorum morbo oppreſſos, *Sancti Petri* interceſſionem pie implorantes, voventeſque monaſterium adire ſancti Michaelis de Cuixa, in quo *Reliquiæ* ejuſdem *Sancti* aſſervantur: in cujus Eccleſia exſtat *altare*, *eidem Sancto* dedicatum, in quo ejus Reliquiæ cuſtodiuntur, quæ ab omni vicinia coluntur & pie viſitantur. Et eos, qui *lapidi* prædicto procumbunt, ad quem *Sanctum Petrum Urſeolum* ſuum plerumque cœpiſſe ſomnum, omnium in ore eſt, aſſeverat ipſe teſtis, hos variis morbis oppreſſos convaleſcere, & ad priſtinam reſtitui ſanitatem; plurimaque & crebra, ejuſdem *Sancti* interceſſione, miracula præſtari. Hoc, & nihil aliud ſcit ipſe teſtis, nec ſuper contentis in prædicta ſupplicatione valet aliud affirmare.

5 Perlecta ipſi teſti hac ejus teſtificatione, affirmavit, hanc verum continere: qua in affirmatione perſeverat & his ſubſcripſit.

Subſcripti in originali. Hieronymus Guſi presbyter. De Rocabruna & Vilallonga. Joſephus Gelcen & Forner notarius.

CAPUT. X

Eadem die VI. *Auguſti* 1715. *in prædicta urbe Pratta*.

1 Apud nos prædictum Officialem & Vicarium generalem ſtetit Raphael Banet faber lignarius, alter ex Conſulibus hoc anno dicti loci *de Ria* in Conſluenti, circa annum ætatis ſuæ trigeſimum tertium, teſtis productus per dictum Procuratorem fiſcalem, & per nos ex officio noſtro auditus, qui virtute juramenti, Domino Deo noſtro, & ſuper ſancta quatuor Evangelia in poſſe & manibus noſtris præſtiti, veritatem ſe prolaturum ſpopondit. 2 In-

2 Interrogatus ſuper contentis in prædicta ſupplicatione, teſti ipſi perlecta; dixit, ſibi eſse in memoria, quantum per ætatem licet, ſe omnium ex ore audiviſse, hoc in eodem vico *de Ria*, quo tempore Reverendus Felix Beringer Rector illius exiſteret, Commune ejuſdem parœciæ altare novum ſancto Sebaſtiano dedicatum conſtruxiſse in dicta parœciali Eccleſia, & prædictum Rectorem Beringer *imaginem Sancti Petri Vrſeoli* ſuis inibi ſumptibus collocaſse, ubi ad noſtra uſque tempora aſservatur, & a fidelibus pie colitur, & viſitatur; cujus ante *imaginem* ipſe Beringer voluit humari corpus ſuum, ubi nunc etiam jacet ſepultum.

3 Atteſtatur præterea ipſe teſtis ex publica auditione, Reliquias *Sancti Petri Vrſeoli* exſtare in monaſterio ſancti Michaelis de Cuixà, in cujus Eccleſia exſtat *altare cum imagine Sancti Petri Vrſeoli*, eidem *Sancto* dedicatum: quod ipſe teſtis per ſe ſcit, & perſæpe vidit ſuis oculis. Audivitque, eos, qui in infirmitatibus ſuis hujus *Sancti* ex toto corde implorant auxilium, voventes, ad prædictum monaſterium ſe illum devote viſitare, ſanitatem & valetudinem aſsequutos: necnon eſse *lapidem* in quodam Oratorio, paucis ab hinc annis conſtructo, nemus inter monaſterii & campum, *Longadera* appellatum, ſuper quem lapidem, *Sanctum Petrum Vrſeolum*, ut ſomnum caperet, jacuiſse aſseverant.

4 Hoc & nihil aliud ſcit ipſe teſtis, nec ſuper contentis in prædicta affirmatione valet aliud affirmare.

5 Perlecta ipſi teſti hac ejus teſtificatione, affirmavit, hanc verum continere: qua in affirmatione perſeverat, & hæc ſubſcripſit.

Subſcripti in originali. Raphael Banet. De Rocabruna & Vilallonga. Joſephus Gelcen & Forner notarius.

CA-

CAPVT. XI

Eadem die VI. *Auguſti* 1715. *in prædicta urbe Pratta*.

1 Coram nobis prædicto Officiali & Vicario generali ſtetit Emanuel Angles agricultor loci de *Ria* in Confluenti, annum agens circa quadrageſimum ſecundum, teſtis productus per prædictum Procuratorem fiſcalem, & per nos ex officio noſtro acceptus, qui virtute juramenti, Domino Deo noſtro, & ſuper ſancta quatuor Evangelia in poſse. & manibus noſtris præſtiti, veritatem ſe dicturum ſpopondit.

2 Interrogatus ſuper contentis in præfata ſupplicatione, teſti ipſi perlecta, dixit, ſe ſemper in prædicto loco de *Ria* ex ore omnium audiviſse, Commune ejuſdem Parœciæ altare novum in Eccleſia parœciali ſancti Vincentii ejuſdem loci ſancto Sebaſtiano dedicatum conſtruxiſse, & *imaginem Sancti Petri Urſeoli*, quæ eidem ineſt altari, ſumtibus Reverendi Felicis Beringer presbyteri, & quondam ejuſdem loci Rectoris, inibi fuiſse collocatum: quam prædicti *Sancti imaginem* fideles ejuſdem Parœciæ pie colunt & venerantur, ante quam corpus ejuſdem Rectoris humatum, juxta ipſius extremam voluntatem, eſse aſseverant: affirmavitque prædictus teſtis, ſe pro certo habere, Reliquias ejuſdem *Sancti* aſſervari in Eccleſia monaſterii ſancti Michaelis de Cuixa, ubi exſtat altare, *Sancto Petro Urſeolo* dedicatum, in quo ab omni vicinia pie colitur & devote viſitatur; hoſque, qui illius toto animi affectu implorant auxilium, voventes ſe ejuſdem Reliquias ad idem monaſterium devote viſitare, a languoribus ſuis eſse ſanatos.

3 Itemque nemus inter monaſterii, agrumque, la *Longadera* vulgo appellatum, *lapidem* ineſse, ſuper quem prædictum *Sanctum* noctes egiſse integras, publica fama eſt, plurimaque, illius *Sancti* interceſſione miracula perpetrari.

4 Hoc & nihil aliud ſcit ipſe teſtis, nec ſuper contentis

tentis in prædicta ſupplicatione valet aliud affirmare.

5 Lecta ipſi teſti hac ejus teſtificatione, affirmavit, hanc verum continere: qua in affirmatione perſeverat, & his ſubſcripſit.

Subſcripti in originali. Emanuel Angles. De Rocabruna & Vilallonga. Gelcen & Forner notarius.

CAPVT. XII

Eadem die VI. *Auguſti* 1715. *in prædicta urbe Pratta.*

1 Honorabilis Joſephus Maria, oriundus & nunc Bajulus loci de *Ria* in Confluenti, viginti octo annis natus, coram nobis ſtetit prædicto Officiali & Vicario generali teſtis productus per dictum Procuratorem fiſcalem, & per nos ex officio noſtro acceptus, qui virtute juramenti Domino Deo noſtro, & ſuper ſancta quatuor Evangelia in poſſe & manibus noſtris præſtiti, veritatem ſe dicturum ſpopondit.

2 Interrogatus ſuper contentis in prædicta ſupplicatione, ipſi perlecta, affirmavit, ſe ſe, quantum per ætatem licet, ex omnium ore audiviſſe, altare ſancto Sebaſtiano dedicatum in Eccleſia parœciali ſancti Vincentii loci de *Ria*, opera & cura Communis ejuſdem Parœciæ fuiſſe conſtructum; *imaginemque Sancti Petri Urſeoli*, quæ nunc etiam in eodem altari ſita eſt, ſumtibus Reverendi Felicis Beringer, quondam ejuſdem Eccleſiæ parœcialis Rectoris, in eodem altari fuiſſe collocatam: ante quam imaginem Rector ipſe mandavit ſua ultima voluntate, ut omnes affirmant, ſuum humari corpus, & nunc ibidem jacet ſepultum: quam imaginem a parœcianis ejuſdem loci pie cultam, & quotidie viſitatam, teſtis ipſe oculatus affirmat.

3 Item ſcit ipſe teſtis, quia ipſe vidit, crebroque videt *ſacellum, altareque cum imagine Sancti Petri Urſeoli*, ipſi dedicatum in monaſterio ſancti Michaelis de Cuixa, quem omnis vicinia pie colit & veneratur;

4 Tenetque ex auditione publica, permultos variis

Digitized by Google

languoribus afflictos, *Sancti* hujus pia interceſſione fuiſſe ſanatos, ac pleraque inibi perpetrari miracula erga illos, qui pio animi affectu ipſum invocant, voventes hujus *Sancti Reliquias* ad prædictum monaſterium ſe devote viſitaturos, in cujus Eccleſia magna cum reverentia aſſervantur: necnon & *lapidem* pie viſitantes, ſitum inter agrum, dictum la *Longadera*, & nemus prædicti monaſterii, ad quem paucis ab hinc annis Oratorium fuit conſtructum, ſuper quem *lapidem*, ſe a multis accepiſſe teſtatur, prædictum *Sanctum Petrum Urſeolum* integras noctes egiſſe.

5 Hoc & nihil aliud ſcit ipſe teſtis, nec ſuper contentis in prædicta ſupplicatione valet aliud affirmare.

6 Perlecta ipſi teſti hac ejus teſtificatione, affirmavit, hanc verum continere: qua in affirmatione perſeverat, & hæc ſubſcripſit.

Subſcripti in originali. Joſephus Maria. De Rocabruna & Vilallonga. Joſephus Gelcen & Forner notarius.

CAPVT. XIII

Die XVII. *Auguſti* 1715. *in urbe Pratta*.

1 Stetit coram nobis prædicto Officiali & Vicario generali Michael Sallent oriundus ex loco de Faurinya, nunc vero urbis de Codolet in Confluenti, annos agens circa ſexaginta, teſtis productus per Procuratorem fiſcalem, & per nos ex officio noſtro acceptus, qui virtute juramenti Domino Deo noſtro, & ſuper ſancta quator Evangelia in poſſe & manibus noſtris præſtiti, verum ſe prolaturum promiſit.

2 Interrogatus ſuper contentis in prædicta ſupplicatione, ipſi teſti perlecta, dixit: quum ab hinc circiter viginti annis graviſſimo aurium dolore afficeretur; itaut noctes dieſque præ doloris acerbitate ageret inſomnes, quamplurimis medicamentis humanis incaſſum adhibitis, tunc ſe divina remedia imploraſſe. Idcirco *Sancti Petri Urſeoli* auxilium invocavit; ſpoponditque, ſi gravis

vis nimium ille dolor aurium, dicti *Sancti* interceſſione ceſſaret, prægrandem illum *lapidem* aditurum, ſuper quem bis vovit pernoctare circa monaſterium ſancti Michaelis de Cuixa, inter agrum, dictum la *Longadera*, & nemus ejuſdem monaſterii ſitum, ſuper quem *lapidem Sanctum Petrum Vrſeolum* vigilias egiſſe, ex rumore publico ſe audiviſſe affirmat: qui *lapis* nunc exſtat in Oratorio, in eodem loco, paucis ab hinc annis conſtructo. Statim emiſſo voto, aurium ille dolor penitus ceſſavit. Poſt hæc teſtis ipſe prædictum *Sanctum* conſulto ad prædictum monaſterium devote viſitavit, in cujus Eccleſia illius exſtat *imago* cum altari in ejus honorem dedicato, in quo ipſius Reliquiæ aſſervantur, votumque nuncupatum explevit.

3 Altera autem vice, quum ſecundum fanum ad locum de Nohedas in Confluenti perrexiſſet ab hinc annis circiter octo, ſupervenit ille iterum aurium dolor, licet non tam acerbus, ut ille prior: & ipſe iterum invocans *Sancti Petri Vrſeoli* auxilium, continuo ab illo ſanatus eſt, itaut exinde nunquam in auribus vel minimum quidem dolorem ſenſerit: de quibus grates ſemper Deo retulit, & prædicto *Sancto Petro Vrſeolo*.

4 Lecta ipſi teſti hac ejus atteſtatione, hanc verum continere affirmavit, qua in affirmatione perſeverat, & ad ſubſcribendum interpellatus, declaravit ſe ſcribere ignarum.

Subſcripti in originali. De Rocabruna & Vilallonga. Joſeph Gelcen & Forner notarius.

CAPVT. XIV

Die XXVIII. *Auguſti* 1715. *in prædicta urbe Pratta*.

1 STetit coram nobis prædicto Officiali & Vicario generall Reverendus Joſephus Garau presbyter oriundus, & incola urbis Prattæ in Confluenti, annos natus circa unum & quinquaginta, teſtis productus per prædictum Procuratorem fiſcalem, & per nos ex officio

noſtro auditus: qui virtute juramenti Domino Deo noſtro & ſuper ſancta quatuor Evangelia, Clericorum more, in poſſe & manibus noſtris præſtiti, veritatem ſe dicturum promiſit.

2 Interrogatus ſuper contentis in prædicta ſupplicatione ſibi perlecta, affirmavit, ab hinc circiter viginti annis, cum ordine ſacerdotali jam foret inſignitus, ſe graviſſimo morbo oppreſſum, itaut ex febris ardore aliquoties mente laberetur, ſacramentis Pœnitentiæ & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ fuiſſe munitum, medicorum conſilio, qui vitam illius corporalem deſperabant. Tuncque meminiſſe, Reverendum quondam Franciſcum Gonellam presbyterum in eadem urbe Pratta, qui illum hac in infirmitate inviſerat, eum fuiſſe hortatum, ut cujuſpiam *Sancti* auxilium invocaret, ut ſi forte poſset, illius interceſſione corporalem a Deo ſalutem impetraret; indicans in primis *Sanctum Petrum Urſeolum*, cujus Reliquias cernere erat in monaſterio sancti Michaelis de Cuixa, quia quamplurimi, qui illius *Sancti* in variis languoribus opem implorabant, incolumes evaſerant. E ſane ipſum ſacerdotem Franciſcum Gonella, qui aliquando in gravem morbum inciderat, quum hac in anguſtia eundem *Sanctum* ex toto corde invocaſſet, ægritudinem levatam & minutam ſtatim ſenſiſſe: quibus a prædicto teſte auditis, probe ipſe recordatur, ſe tunc ex toto animi affectu *Sanctum* invocaſſe *Petrum Urſeolum*, ac etiam id dicto Reverendo Franciſco Gonella commendaſse, itaut in craſtinum ipſe teſtis ſolatium ex hac pia invocatione ſibi allatum magnopere ſenſerit: ac exinde ſenſit & brevi convaluit. Quum autem priſtinam conſequutus eſset valetudinem, monaſterium adiit sancti Michaelis de Cuixa; ſacellum viſitavit; ad altare *Sancti Petri Urſeoli*, ante ejus imaginem ſacrum peregit; & Deo & prædicto *Sancto* gratias retulit: cujus *Sancti* piam ſemper exinde memoriam retinuit, itaut nunc decreverit habitum induere sancti Patris Benedicti in monaſterio prædicto, ſi ſibi concederetur, ſaltem per medium coadjutoriæ, quam pluries poſtulavit; & per

ſe

Digitized by Google

ſe non ſtetit, quin profeſſionem in eodem cœnobio emitteret. Et quoties prædictus teſtis prædictum monaſterium petit, ſacellum prædictum viſitat, & ad *altare* ante prædictam *imaginem* ſingulariter orat, quam ex tunc pie veneratur & devote.

3 Hoc & nihil aliud ſcit prædictus teſtis, nec de contentis in prædicta ſupplicatione valet aliud atteſtari.

4 Lecta ipſi hac ejus atteſtatione, affirmavit, hanc verum continere: qua in affirmatione perſeverat, & his ſubſcripſit.

Subſcripti in originali. Reverendus Joſeph Garau presbyter. De Rocabruna & de Vilallonga. Joſephus Gelcen & Forner notarius.

CAPVT. XV

Die XXXI. *Auguſti anni* 1715. *in prædicta urbe Pratta*.

1 APud nos prædictum Officialem & Vicarium generalem ſtetit Franciſca Mir, uxor Joſephi Mir pharmacopolæ urbis Prattæ in Confluenti, annos nata, de ſuo aſsenſu, circa trigeſimum tertium, teſtis producta per ſupradictum Procuratorem fiſcalem, & per nos ex officio noſtro accepta, quæ virtute juramenti Deo & Domino noſtro ſuper ſancta quatuor Evangelia in poſſe & manibus noſtris præſtiti, ſe veritatem prolaturam ſpopondit.

2 Interrogata ſuper contentis in prædicta ſupplicatione, ipſi teſti perlecta, affirmavit, ab hinc uno circiter anno viſum ſe penitus amiſiſse, itaut per quatuor menſium ſpatium nulla ipſi facultas videndi ſupereſſet. Quare plurimis adhibitis humanis remediis, duorum chirurgorum cura, ſed incaſsum, per id tempus corporalibus oculis capta ſemper fuit. Verum quamplurimi ipſam hortantes, ut *Sancti Petri Vrſeoli* opem ad ſanctum Michaelem pie invocaret, quum ex remediis humanis nullum ſentiret levamen, tunc a prædicto *Sancto* auxilium enixe poſtulavit: ſeſeque voto adſtrinxit, ſi per

iſtius

Digitized by Google

iſtius *Sancti* interceſſionem oculis amiſſis remedium obtineret, per novem dies continuos prædictum *Sanctum* ad Eccleſiam prædictam, in qua *imago*, & *altare* ipſi exſtant dedicata, ſe devote viſitaturam: quo voto nuncupato, ſtatim oculorum caligo paululum dilapſa eſt, & ut ad meliorem ſtatum pervenit, votum explere incœpit. Prima die unum ex monachis ejuſdem monaſterii adiit *s. cryſtallum*, quod eſt altera ex Reliquiis hujus *Sancti*, oculis ſibi admoveri poſtulavit: quo admoto, & mox exſtracto, confeſtim ad priſtinum ſtatum reſtituta eſt, & exinde clare videt & acute. De quibus Deo & dicto *Sancto Petro Urſeolo* grates retulit, & refert quotidie.

3 Hoc & nihil aliud ſcit ipſa teſtis, nec ſuper contentis in ſupplicatione valet aliud atteſtari.

4 Lecta ipſi teſti hac ejus teſtificatione, affirmavit, hanc verum continere: qua in affirmatione perſeverat, & interpellata ad ſubſcribendum, ſe ſcribere ignaram declaravit.

Subſcripti in originali. De Rocabruna & Vilallonga: Joſephus Gelcen & Forner notarius.

Item atteſtor ego idem Honuphrius Bordes notarius, ſcriba, Regenſque prædictus, quod in pede ſeu calce ſupradictæ Informationis traductionis in archivo prælibati monaſterii reconditæ, non vitiatæ, non cancellatæ, neque in aliqua ejus parte ſuſpectæ, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentis, ſunt & reperiuntur quædam Reſponſa, notulæ, & alia, hujuſmodi ſub tenore.

CAPUT. XVI

Reſponſa ad quæſtiones ſuper vita, geſtis, & miraculis Beati Petri Urſeoli.

1 PRimo quæritur, utrum corpus *Beati Petri Urſeoli* quieſcat in Eccleſia monaſterii ſancti Michaelis de Cuixa, ordinis ſancti Benedicti?

Reſpondetur. Conſtat, illius Beati corpus quieſcere his noſtris temporibus in altari, ad ejus honorem conſtructo,

cto, in *theca fuſtea deaurata* [a], ad calcem ejuſdem altaris, ſubtus imaginem *Sancti Petri Urſeoli* in ſacello, dicto, *Sancti Petri Urſeoli*, ubi exſtat *lampas, quæ noctes dieſque ardet*.

a Vide ſupra pag. 57.

2 Utrum *Sanctus* vocetur?

Reſpondetur. Apud totam hanc regionem habetur, ut *Sanctus*, crebro viſitatur, ut *Sanctus*, & colitur, ut *Sanctus*.

3 Utrum Sancta Sedes illi titulum *Sancti* adſcripſerit, vel tacite vel expreſse; aut indulto, aut privilegio?

Reſpondetur. Nihil ex iſtis apud nos invenitur, ſed in quadam veteri Regula ſanctiſſimi Patris noſtri Benedicti, quæ olim legebatur in choro, in catalogo typis impreſso omnium Sanctorum Ordinis noſtri, ſummorum Pontificum, Imperatorum, Regum &c. reperiebatur ſcriptum, illum fuiſse *beatificatum* [b]: quod atteſtantur ſe legiſse prædictus Officialis & Vicarius generalis Frater Franciſcus Bru & de Tord, Decanus ejuſdem monaſterii, & ego Frater Joannes Saldoni Infirmarius & Secretarius infraſcriptus.

b Lege *ſanctificatum*.

4 Utrum de *Beato Petro* celebretur Officium vel proprium, ſeu de communi Confeſsorum non pontificum?

Reſpondetur. *Negative*.

5 Utrum illius Vita ſcripta exſtet in monaſterio?

